



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio VII. In Tit. VII. De Institutionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

ment. *Ne Romani de Elect.* Et ex eadem causâ nequeunt ejus potestatem limitare.

700 Quæstio est 11. An Coadjutor teneatur mentionem facere de beneficiis *obventis*, ut Coadjutoria firma sit? *R.* affirmative, si postulent residentiam cum Coadjutoria incompatibilem; quia duo simul incompatibilia, cum ab obtinente utriusque satisfieri non possit, retineri nequeunt; sed quid, si non sit incompatible? *R.* adhuc fieri debere mentionem cujuslibet beneficii, & juris ad illud, aliâs Coadjutoria, cum *fuura successione*, nulla erit, ut colligitur ex c. *si motu proprio. de prabend. in 6. & Clem. II. de Offic. Ord.* quia talis Coadjutoria est jus ad beneficium, ex quo inferitur collatio ejus, exe-

quenda tempore vacationis. Dixi *nulla erit*, intellige quoad *successionem*, & servitium; sic Castropalaus *cit. n. 49.*

Quæstio est 12. an Coadjutor Epi-701 scopi, vel Prælati beneficia, conferre possit? *R.* posse, quando Coadjutus est demens, vel, sic inhabilis, ut ipse consensus, & auctoritatem præstare non possit; secus, id præstare est Coadjuti cum consilio Coadjutoris; quod tamen non requiritur ad substantiam actûs; ita Pirhing. *de Cleric. Egrot. n. 18.* Nec obstat, quod alienatio Coadjutoribus prohibita sit; & collatio beneficii sit quædam alienatio. Nam illa prohibitio intelligitur de alienatione *voluntaria*; non *necessaria*, seu ex dispositione legis arg. *L. alienationes ff. familiæ heriscunda.*



QUÆSTIO VII. IN TIT. VII. DE INSTITUTIONIBUS.

Cum varii sint modi Ecclesiastica beneficia canonicè acquirendi, eisque providendi, nimirum postulatione admîsâ, de qua egimus *lib. 1. tit. 5.* 2. Electione confirmatâ, de qua *ibid. tit. 6.* 3. Translatione legitimâ, de qua *ibidem tit. 7.* 4. Renuntiatione admîsâ, de qua *ibid. tit. 9. hoc tit.* agitur de duobus aliis modis, nimirum *institutione*, qua acquiritur beneficium *liberum*, quorum explicationem jam suprà dedimus. Sermo autem est de institutione Canonica, quam exposuimus sup.

ARTICULUS I.

Quid sit Institutio Canonica?

702 Ante resolut. *Not. 1. Institutionem* in genere tripliciter accipi, primò, *latè*, prout includit liberam collationem beneficii; 2. *strictè* & proprie; & sic significat actum, quo jus beneficii, præviâ præsentatione, vel nominatione, legitimâ auctoritate transfertur in præsentatum, vel nominatum: 3.

quandoque pro investitura, seu missione, in corporalem, seu actualem possessionem beneficii, quæ jure communi ad Archi-Diaconum spectat c. *ad hæc, & c. ad nostram. de Offic. Archi-Diac.* Latissimè autem sumitur *Institutio* pro qualibet legitima provisione, seu modo, quo acquiritur beneficium, sive sit electio cum sequente confirmatione, sive postulatio cum admissione Superioris; sive institutio facta præcedente præsentatione Patroni, vel nominatione alterius, vel libera collatio; his prænot.

Not. 2. Quamvis, ut diximus, plu-703 res sint in specie modi acquirendi beneficia Ecclesiastica, loquendo tamen generatim, id posse evenire duobus modis, nimirum *justè*, seu legitimè, & *injustè*, seu illegitimè. *Justè*, cum, *injustè*, sine *Canonica Institutione*. Beneficium enim Ecclesiasticum non potest licitè, sine Canonica Institutione obtineri juxta primam regulam *jur. in 6.* ubi *not. Institutionem* hoc loco sumi latissimè, juxta dicta *n. præced.*

Not.

Not. 3. illam institutionem dici *canonicam*, quæ est facta secundum Canones, & per illos approbata; quod, ut contingat, tria requiruntur 1. legitima potestas ex parte instituentis, seu conferentis beneficium. 2. decens habitus ex parte illius, qui instituitur. 3. ut servetur solemnitas forma institutionis à jure requisita, sic Gloss. in cit. reg. 1. V. *obtinere*. Hinc.

704 Not. 4. illum non *Canonicè*, consequenter *injustè* obtinere beneficium, qui successit in illud, *jure consanguinitatis*, c. *ut nullus*, de præbend. similiter, non *canonicè* obtinet, qui habet illud *pervetitam alterius voluntatem*, sive ex testamento, sive ab intestato. 2. qui habet *ex pacto de succedendo alteri* post ejus mortem c. 2. de *concess. præb.* & ideo tale pactum non valet, sicut etiam pactum, si quis in beneficio instituat ea conditione ut alius certus v. g. succedat consanguineus c. *accepimus* 5. de pactis.

705 Not. 5. ejusmodi successiones, quasi hereditarias, adeo reprobantur à Sacris Canonibus, ut nec filius, etsi legitime natus, in eodem beneficio Patri suo *immediatè* substitui possit, c. *veniens* cum seq. de fil. præsb. Nec vivente Præbato, vel alio Beneficiario, de Successore eligendo tractatus institui possit, esto paulo post sit moriturus c. *Bona*, de Elect. & c. *nullus* dist. 79. Nec Episcopo, vel simili Præbato Coadjutor dari cum jure succedendi, exceptâ plenitudine potestatis Papalis c. *petiisti* 7. q. 1. & *Trid. Sess. 25. de de reform. c. 7.* & ideo etiam promissiones, de beneficio nondum vacante, prohibita sint c. *relatum* de concess. præbend.

706 Præter nominatos modos, acquirendi beneficia Ecclesiastica, Castropalaus 17. 13. de benefic. D. 3. p. 1. n. 1. donec beneficia acquiri possent aliis duobus modis, nimirum *actu*, & *potentiâ*, sed nota, hoc idem esse ac acquirere *jus in re*, vel *jus ad rem*. Jus in re acquiritur collatione acceptatâ, institutione, electionis confirmatione, & postulationis admisione; jus ad rem acquiritur 1. electione 2. presentatione, vel nominatione 3. acceptatione vigore gratiæ expectativa; 4. gratiâ expectativâ ei concessâ, qui receptus est in Canonicum;

5. collatione nondum acceptatâ, 6. reservatione beneficii in tui favorem: 7. optione, cum alicui datur jus optandi, seu sibi hoc, vel illud eligendi 8. admisione solutionis debitæ pensionis, 9. privatione juris, 10. per Coadjutoriam cum futura successione; quibus præmissis.

Not. 6. collationem, *proprie sumptam*, esse voluntariam beneficii concessionem, vel motu proprio concedentis, vel ad petitionem impetrantis; ut constat ex c. *si motu proprio* & c. *si tibi absenti*, de præbend. in 6. & vocatur *liberalis donatio* beneficii, *Institutio*, est beneficii concessio à Præbato, facta præsentato à Patrono, & dicitur concessio *obligatoria*, quia Præbatus tenetur illi conferre beneficium, quem Patronus præsentat, modò habilis sit.

Not. 7. *Electionem*, per quam quis acquirit jus ad beneficium (ut diximus l. 1. tit. 6.) dici relatè ad confirmationem, & præsentationem relatè ad institutionem; hinc sicut *electus* proprie confirmari; sic *præsentatus* proprie institui dicitur. Est autem *confirmatio*, facta per Superiorem approbatio electionis, factæ à Collegio alicujus personæ, ad dignitatem, Præbaturam, vel aliud beneficium *vacans*. Hæc approbatio Superiori non est libera, sed obligatoria; quia tenetur electum confirmare, modò sit habilis. De postulationis admisione diximus in 1. decretalium tit. 6.

Not. 8. quòd, licet *collatio* proprie dicta differat ab *institutione* (cum illa sit *libera*, ista autem *obligatoriæ*) sæpe tamen sub ejus nomine venire etiam institutionem, & electionis confirmationem, quò casu *collatio latè* sumitur, ut constat ex toto titulo, ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.

Sed hinc dubium nascitur, quando *collatio* significet institutionem? quando electionis confirmationem, vel etiam præsentationem? quando verò *collationem* proprie dictam? R. quando nomen *collationis* à lege profertur in materia ambigua, & restringibili, sumi nomen collationis *proprie*; si autem apponatur in materia non ambigua, & restringibili, sumi *latè*. In exemplo: Pontifex man-

mandat alicui *conferri* beneficium, si hoc sit *Patronatum*, collatio significat *institutionem*, & *latè* sumitur; si *electivum* significat confirmationem electionis: si *collativum* seu *liberum*? collatio propriè sumpta intelligitur.

ARTICULUS II

Quibus competat jus instituendi?

CUM ex supra dictis constet institutionem, latè acceptam, completi, etiam collationem, confirmationem electi, admissionem postulati, & institutionem strictè sumptam presentati; de singulis pauca dicenda in præsens veniunt. Nam de confirmatione electi, & admissione postulati jam diximus. *l. 1. loc. cit. tit. 6.*

§. I.

Quibus competat potestas providendi beneficiis Collativis?

709 QUID veniat nomine beneficii *collativi*? constat ex n. 243. quale jus ex *collatione* acquirat Collatorius? ex dict. à n. 244. & quando hic consensum, seu acceptationem præstare? à n. 247. ad quid autem teneatur, qui beneficium confert, quod scit, suæ collationis non esse? à n. 248. Superest, cui competit potestas conferendi beneficia? Sed de hoc jam actum est in præmissis, & quidem quid in hoc possit Summus Pontifex? diximus? à n. 421. idque tum jure præventionis, quam concursus? à n. 423. Quid porrò alii Prælati Papæ inferiores? à n. 423.

710 Quæstio est, an liceat *conferre* beneficia Ecclesiastica digno prætermisso digniore? *Dignior*, hoc loco, censendus est, non qui absolute doctior, vel sanctior, seu majore virtute præditus est; sed, qui ad officium illud *rectè* peragendum magis aptus est, propter potentiam, nobilitatem, industriam, & dexteritatem in agendo ea, quæ propria sunt officii, propter quod datur beneficium, ita S. Thom. 2. 2. q. 63. à 2. in corpore, quo posito.

R. In casu, quo non agimus de beneficiis Patronatis, aut electivis, sed col-

lativis, collationem beneficii debere fieri digniori, loquendo de beneficiis *curatis*, præsertim his, quæ jurisdictionem Ecclesiasticam, aut non modici momenti administrationem annexam habent. Hinc, *prætermisso notabiliter digniore*, illa conferre *minus digno*, graviter illicitum est, ut aperte dicitur in *Trid. Sess. 24. de reform. c. 1. & 18.* facit enim contra fidelitatem in re gravi, quam Ecclesiæ debet ex officio, privando illam magno commodo, & Ministris magis idoneis, ita Covar. Lessius, Layman, Garcia, & alii communiter cum S. Thom. 2. 2. q. 63. à 2. ad 3. contra Tamburinum *l. 8. tr. 3. c. 4. §. 4. n. 5.* docentem contrarium.

Et hoc videtur procedere, etiam in casu, quo tale beneficium conferri debet ex fundatione, statuto, vel consuetudine uni ex certa familia, patria, vel ex numero Clericorum talis Ecclesiæ; conferri enim debet *digniori* inter illos, modò unus ex illis talis sit; ratio enim est prorsus eadem, & tenet Pirhing de præbend. n. 98. & alii, in reliquis vero *non curatis*, & *simplicibus*, ac *non qualificatis*, eâ qualitate, de qua præced. numero, illa conferre *digno*, prætermisso digniore, non videtur excedere culpam venialem; sic Garcia, Layman, & alii, quos cit. & sequitur Pirhing de præbend. n. 96. qui numero sequenti docet, eos, qui beneficia *curata*, extra concursum, conferunt digno, relicto digniori, non teneri ad restitutionem vel digniori, vel Ecclesiæ faciendam; secus, in concursu.

711 Quoniam autem quædam beneficia conferri debent *per concursum*, hoc est, per examen prævium eorum, qui per edictum publicum vocati, examinari volent ad acquirendam aliquam Ecclesiam vacantem, cæteroque non conferendam alio modo provisionis, not. de his agi in *CC. Trid. Sess. 24. de reform. c. 18.* ubi statuitur 1. cum Parochialis Ecclesiæ vacantia quomodocunque contigerit, omnes illas, quibus in eis Episcopus consuevit curam animarum dare, ad infra scriptum examen teneri, relicta libertate Episcopo, ut pro regionis more, per edictum etiam publicum, vocentur ii, qui volent examinari. Hoc porrò viderur

videtur intelligendum de *Ecclesiis tantum collativis*, non *electivis*, aut *patronatis*, nisi plures sint presentati.

712 Secundò, ut examen fiat ab ipso Episcopo, vel, eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis Examinatoribus, *non paucioribus, quam tribus*, quorum votis, si partes singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Tertio, ut Examinatores singulis annis in dioecesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario, *ad minus sex* proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Quarto, ut adveniente vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui eum eo examen perficiant, indeque succedente aliâ vacatione, aut alios tres, quos maluerit exprædictis illis sex eligat. Quintò, ut hi Examinatores sint *Magistri*, seu *Doctores*, aut *Licentiaii in Theologia*, aut *jure Canonico*, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei; *jurentque* omnes ad sancta DOMINI Evangelia, se quâcunque humanâ affectione postpositâ, *fideliter* munus executurus; caveantque, *ne quidquam prorsus, occasione hujus examinis, nec antè, nec post accipiant*, alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quam alii dantes incurrant, à qua *absolvi nequeant*, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.

713 Sextò, ut, peracto examine, renuntientur, quoruncunque ab his idonei iudicati fuerint, ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque *illi*, & *non alteri*, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Septimò, ut, si Ecclesia juris patronatus Ecclesiastici fuerit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus *digniore*, inter probatos ab Examinatoribus, iudicabit, Episcopo presentare teneatur, ut ab eo instituat. Cum verò institutio

ab alio, quàm ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus *solus*, ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei presentet, ad quem institutio spectat, quod si jus Patronatus Laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono presentatus erit, ab ejusdem deputatis, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus expertus fuerit, admitti in omnibus. Octavò, ut in omnibus prædictis casibus non cuiquam alteri, quàm uni ex prædictis examinatis, & ab Examinatoribus approbatis, juxta supradictam regulam de Ecclesia provideatur, nec prædictorum Examinatorum relationem quò minus executionem habeat, ulla devolutio, aut appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive ejusdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primate, vel Patriarchas interposita impediat, aut suspendat: alioquin Vicarius, quem, Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsau postea deputabit, ab ejus Ecclesiæ custodia, & administratione non admoveatur, donec aut eisdem, aut alteri, qui probatus, & electus fuerit, ut supra, sit provisum, alias provisiones omnes, seu institutiones, *præter supradictam formam factæ*, subreptitiæ esse censentur, non obstantibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscunque Universitatibus etiam ad certam summam, & aliis impedimentis quibuscunque. Ad extremum subiungit: si tamen adeo exigui redditus dictæ Parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quærat subijcere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facillè graviores rixæ, ac tumultus possint excitari, poterit Ordinarius, si ro sua conscientia, cum Deputatorum consilio, ita expedire arbitrabitur, hæc formâ omisâ, prius aliud examen, cæteris tamen, ut supra, servatis, adhibere. Licebit etiam Synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendave esse censuerit, providere.

Ex

Ex hoc decreto colligitur, ubi contigerit vacare *Parochialem Ecclesiam*, provisionem ejus faciendam prævio examine per concursum non veniunt beneficia curata, quæ non habent *Parochiam*, sic Barbosa in *cit. loc. Trid. n. 2.* nec beneficia simplicia; Riccius in praxi fori *Eccles. resol. 352. in edit. 2. 3.* nec Ecclesia Parochialis, quam quis prius possedit, vel acquirit per regressum; Garcia de benefic. *n. 9. c. 2. n. 199.* 4. nec Parochialis unita dignitati, vel Canonicali, Castropalaus de benefic. *tr. 13. D. 3. p. 2. §. 5. n. 6.* nam ratione unionis accepit qualitates ejus, cui unita est; 5. hoc examen non exigitur in beneficiis juris Patronatus Laicalis, cum Concilium, loquens de iis beneficiis, dixerit, debere præsentatum à *Patrono examinari*, & digno reperto ei beneficium conferri; tacite insinuans, concursu oppositorum opus non esse: sic tenent, & decitum à sacra congregatione referunt Gonzalez ad *reg. 8. Carcell. Gloss. 6. n. 134.* Verùm hoc intellige pro casu, quo unus esset præsentatus, vel ejus præsentatio omnibus aliis præferenda esset. Tunc enim hic examinari debet cæteris exclusis, & idoneo reperto ei beneficium conferri: At si plures sint æquanimiter præsentati, examen faciendum est per concursum, ut Episcopus ex approbatis eligat digniorem; Gonzalez *n. 138.* Garcia *n. 256.* Barbosa *n. 18.* Riccius *n. 2.* Et idem est, si jure devoluto provisio ad Episcopum pertinet, quia cessat Patroni præsentatio, ob quam examen per concursum non fit. Genuen. in praxi *c. 66. n. 19.* Garcia dicto *c. 2. n. 257.* Barbosa *3. p. alleg. 60. n. 18. in fine.*

715 Sexto, hoc examen per concursum non requiritur in beneficiis resignatis *in favorem* in manu Pontificis; sic enim à Sacra Congregatione decisum esse refert Flaminus *l. 10. de resign. q. 7. à n. 13.* & alii. Unde Consilium, præcipiens fieri examen per concursum, *in quibusvis beneficiis parochialibus vacantibus, etiam per resignationem in Curia*, loquitur de *vacantibus per resignationem simplicem*, & non *in favorem*. Quæ enim in favorem resignantur, absolute non

vacant, quousque resignata resignatario fuerint acquisita; neque in illis interim apponitur Vicarius, sed resignans, utpote dominus, administrat. Gonzalez *cit. Gloss. 6. à n. 122.* & alii, 7. nec requiritur in permutatione beneficii parochialis cum alio parochiali, vel simplici; cum alteri acquiri non possit, nisi permutanti; nec prius vacet, quam ei sit acquisitum, 8. cessat in beneficiis litigiosis: nam durante lite beneficium non vacat, nec provideri potest *c. 1. & 2. ut lite pendente.* Clement. prima, eod. tit. Concilium enim loquitur de parochialibus *vacantibus*, & quæ factò examine provideri debent: ergo; sic Gonzalez ad *reg. Cancellar. Gloss. 6. à n. 142.* intellige tamen, nisi summus Pontifex aliter ordinaverit.

Nonò, cessat concursus, quando ⁷¹⁶ cura pertinet ad Ecclesiam Cathedralis, vel Collegiatam, & per unum, vel plures sive promiscuè, sive alternativè, & per hebdomatas administratur: quia ipsi administratores verè non sunt curati, neque ad obitum illorum cura *vacat*; cum penes Ecclesiam Cathedralis, vel Collegiatam remaneat: sic pluribus decisionibus comprobatur Garcia *9. par. de benefic. cap. 2. n. 181.* Gonzalez *Gloss. 6. n. 158.* decimo Vicariis perpetuò unitis Ecclesiæ, vel beneficio seculari; quia ratione unionis earum titulus extinguitur; 11. in beneficiis regularibus; hæc enim non conceduntur in perpetuum, & conferuntur ad nominationem Monasterii; esto etiam soleant secularibus commendari; adhuc enim fit ad Monasterii nominationem. 12. Si Parochiæ sint adeo exigui redditus, ut vel operæ pretium non sit concursus institui, aut nemo sit, qui nolit concurrere, ut constat ex ipso Concilio in *n. 713.*

Dices: contra limitationem. ⁷¹⁷ 9. Concilium dicit, examen per concursum requiritur in Ecclesiis Parochialibus vacantibus, etiam si cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum, vel plures administraretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis, in quibus consuevit Episcopus uni, vel pluribus curam animarum dare.

dare. R. Concilium loqui de casu, quo cura administratur per unum, vel plures in perpetuum, quorum interitu cura vacat, & denuo providetur; secus verò, cum cura illis committitur ad nutum amovibilis; quia illorum interitu non vacat beneficium; & Concilium agit de beneficiis vacantibus; ibi, cum Parochialis Ecclesia vacatio, deinde etiam dici potest, Concilium loqui de Ecclesiis Parochialibus, quæ propriè & simpliciter tales dicuntur; non autem de iis, quæ propter suam dignitatem non veniunt, nisi exprimantur, nomine Ecclesiæ Parochialis simpliciter probatæ; tales sunt Ecclesiæ Collegiatae ac Cathedralis per c. statutum. de elect. in 6. ibi: ad Collegiatas Ecclesias, nisi alias Parochiales extiterint, ad assumptos ad earum regimen non extendi, saltem in odiosis, at talis est dispositio de consequendo beneficio sub onere concursus.

718 Ex dict. colliges 1. in beneficiis collativis electionem esse penes Episcopum (si ipsorum collatio ejus sit) quam malit ex pluribus dignis ei præficere in patronatis, quæ sunt Patronatus Ecclesiastici, ubi institutio ad Episcopum pertinet, non esse electionem penes Patronum, sed hunc tene-ri ad præsentandum eum, qui judicio examinatorum dignior repertus fuerit; ubi autem institutio non Episcopum pertinet, sed alium, electionem esse penes Episcopum, sic, ut ipse ex dignis nominet digniorem, quem Patronus præsentare debeat ei, cujus est instituere. Constat ex dictis.

719 Colliges 2. si beneficium fuerit de Patronatu Laico, præsentatum, si tantum unus sit, prius examinandum esse à Deputatis, nec admittendum, nisi idoneus repertus fuerit, ex n. 713. non obstante quacunquè devolutione, aut appellatione etiam ad Sedem Apostolicam, vi cujus decreti hujus executio impediretur; 3. Provisiones, vel institutiones, aut collationes aliter factas, esse subreptitias, ac nullas, ex n. 713. & beneficia per ejusmodi provisionem, contra formam Tridentini, evadere reservata Papæ, per Constit. Pii V. quæ est 53. & incipit: In conferendis.

720 Colliges 4. quando dicimus, quòd Episcopus, ex præsentatis à Patrono Eccle-
Tom. III.

sastico, possit ex approbatis per examen eligere digniorem, eumque nominare Patrono, ut eum præsentet Collatori, quando institutio non est penes ipsum Episcopum, sed alium, esse idem, quando ex pluribus examinatis omnes judicantur æque digni, etiam si aliàs id juris habeat, quando eidem à Patrono plures præsentantur. Nam tali casu Episcopi est eligere illum, qui debet institui; cum ergo ponantur omnes æque digni, & non omnes, sed tantum unus institui possit, ejus erit eligere unum, non quidem tanquam digniorem positivè (nam hoc est contra suppositum) sed tanquam digniorem negativè, hoc est, non minus dignum, ac sint alii, quo non electis nulla fit injuria.

Colliges 5. idem dicendum, cum plures ex approbatis æque digni censentur pro beneficio collativo, esse in arbitrio Collatoris eligere, quem maluerit. Cæterum, si Patronus Ecclesiasticus ex approbatis eligeret minus dignum, Episcopus eum non teneretur instituere; nam talis electio facta esset contra formam à Concilio præscriptam; ergo esset nulla; ergo ad eum non posset sequi institutio; minus obligatio instituendi taliter electum. Hinc fit, quòd etiam rescriptum impetratum super tali electione vitaretur; laboraret enim falso supposito, nimirum electionis factæ juxta formam à Concilio præscriptam.

§. 2.

Quibus competat jus providendi beneficiis Patronatis?

Loquimur hic de provisione per Institutionem, atque adeo non liberâ, sed necessariâ, quæ scilicet fieri debet ad præsentationem à Patrono legitime factam. Tamen enim ipsa quoque Præsentatio, quæ Patronis de gratia, & beneficio Ecclesiæ conceditur, dici possit Provisio, hic tamen non agimus de illa, remisso ejus tractatu ad tit. 38. de Jure Patronatus, de quo infra; sed de ipso actu instituendi, prout dicitur relate ad præsentationem, & præsentato tribuit jus reale, seu jus in beneficio, ad quod præsentatus est; hinc talis dicitur ejusmodi

modi beneficium habere *cum titulo*; & quidem *in titulum*, si in perpetuum, seu ad dies vitæ; & taliter habens beneficium vocatur in eo *intitulatus*, ex sola verò præsentatione, non habet beneficium illud, nisi *in potentia*, seu jure *ad rem*, ut sæpe diximus, id, quod etiam acquirit electione; vigore gratiæ expectativæ; collatione nondum acceptatâ, reservatione in ejus favorem; Coadjutoriâ cum futura successione, &c. sic Castropalaus *tom. 2. tr. 13. de benef. D. 3. p. 1. à n. 1.* his præmissis.

723 Quæstio 1. est, ad quem jure communi spectet jus instituendi præsentatos? seu per institutionem providendi de beneficiis Patronatis? R. quòd ad Episcopum, si sint sub ejus diocesi. 1. c. *Ex frequentibus*. 3. *b. t.* ubi Alexander III. scribens ad Archi-Episcopum Cantuariensem; ac ejus Suffraganeos, *ex frequentibus*, ait; *querelis didicimus, in partibus vestris consuetudinem pravam à multis retro temporibus invaluisse, quòd Clerici Ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi diocesani, vel Officialium suorum (qui hoc de jure possunt) recipiunt, minus, quàm deceat cogitantes, quomodo id à Patrum sanctorum est institutionibus alienum, & Ecclesiastica contrarium honestati.* Unde, cum tu frater Archi-Episcopo, ex officio tibi commissio, *tam iniquam consuetudinem*, de Provincia tua velis (sicut debes) radicitus extirpare, tam in illos, qui Ecclesiastica bona taliter occupata, scienter detinent; quàm in eos, qui de cætero occupare præsumpserint, excommunicationis sententiam protulisti, Nos eandem sententiam ratam habentes, & eam autoritate Apostolicâ confirmantes, mandamus, quatenus Clericos ipsos, qui eam sententiam incurrerint, nisi congruè satisfecerint, absolvi minime præsumatis, ubi Rubrica, textum exhibens in Summa, sic habet: *institutio beneficiorum spectat ad Episcopos, vel eorum Officiales.* Idem habetur ex c. *Cum ex injuncto*. 12. *de hæret.* ibi: quòd, si fortè necessitas postularet, ut Sacerdos tanquam inutilis, & indignus à cura gregis debeat removeri, *agendum est, ordinatè apud Episcopum, ad cujus officium tam in-*

situtio, quàm destitutio Sacerdotum noscitur pertinere.

Dubitari potest, an idem possit Capitulum Sede vacante? R. quòd sic c. 1. *b. t. in 6. ibi: etsi Capitulum, Sede vacante, beneficia, quæ ad Collationem Episcopi pertinent, conferre non possit, presentatos tamen à Patronis potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint presentati: licet ad Episcopum (si superesset) admisso, & institutio hujusmodi pertineret.* Aliis verò Prelatis inferioribus id competere non potest, nisi privilegio vel præscriptâ consuetudine c. *super eo*. 15. *de Offic. deleg. v. g.* Archidiacono, Prapósito, Abbati c. *cum olim. c. auditis, de præscript.*

Dubitari potest 2. an Vicarii generales Episcoporum *ex vi Vicariatus*, absque alia speciali commissione, possint instituere ad præsentationem Patroni? affirmativam, quoad confirmationem electi, secutus sumus l. 1. *titul. 6.* idem dici videretur probabilius de institutione præsentati; cum textus expressè dicat, quòd *Officiales Episcoporum hoc de jure possunt*, ut constat ex litera in n. 723. nimirum quando agitur de provisionibus beneficiorum, quæ sunt necessitatis; nam providere de beneficiis, quæ sunt liberalitatis, & quasi donationis, aliunde constat, eos id non posse de jure, ut diximus loc. cit. sicut nec Capitulum Sede vacante, & ita tenent Gloss. in cit. c. *Ex frequentibus*; & in c. *fin. de Offic. Vicarii in 6. V. non possunt*, Nicolaus Garcia de *benefic. p. 5. c. 8. à n. 83.* Praxis Episcop. p. 1. *V. Vicarius* §. 18. Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. Gloss. 9. §. 5. à n. 78.* Vivian. in praxi juris patronat. p. 2. l. 1. *c. 2. n. 3.* Suarez de pace in *pract. tom. 2. pral. 3. n. 7. & 8.* Azor *instit. moral. p. 2. l. 7. c. 22. q. 3.* Narbon. *de appellat. à Vicario ad Episcopum p. 1. n. 18.* Barbosa de *offic. & potest. Episcopi p. 3. allegat. 54. n. 70.*

De hac opinione sic loquitur Barbosa in dict. c. *ex frequentibus* n. 3. *hac resolutio (licet plures gravissimos habeat contradictores, & inprimis Rebuffum dissentit. Forma Vicariatus, à n. 126.) in se quidem verior est, & in rigore disputatio-*

nis optimè defenditur, & secundum eam respondisse Illustriss. Cardinal. Sacra Congregat. Concilii, testantur Nicolaus Garcia, & Narbon. citatis locis; & Sacram Rotam secundum eam judicasse, refert Card. Cavalier. decis. 28. n. 5. Sed ad litteram hujus textus minimè adaptatur; tum quia, ut ostendimus, intelligendo verba illa restrictivè, non probat conclusionem affirmativam, quam ex eo colligunt.

727 Rationem dat; quia non agit textus de institutione specialiter sumpta, quæ scilicet fit ad Patroni presentationem, sed generaliter de Clericis, qui sine titulo habito ab Episcopo, vel Officialibus suis, vel alia persona, quæ de jure habebat potestatem, beneficia occupabant, ac subinde si verba prædicta (*qui hoc de jure possunt*) itarent expositivè, ut isti volunt, probaret textus, posse Officiales Episcoporum sine speciali ipsorum consensu, seu commissione, beneficia conferre, quod est directè contra textum in dict. c. vet. & contra receptam omnium scribentium sententiam.

728 Sed hæc objectio Barbofæ non obstat sententiæ affirmantium. Verum est, quod textus non loquatur tantum de institutione restrictivè sumpta, nimirum de institutione strictè accepta, prout solum dicitur relatè ad presentatos, in quantum loquitur de jure Episcopi & Officialium ejus; nam querelæ, quas de prava consuetudine illorum Clericorum didicerat Pontifex, non erat unicè, quod sine consensu Ordinarii occuparent beneficia solum patronata, quorum provisio est necessitatis, sed etiam collativa, quorum provisio est liberalitatis: circa quæ ultima Officiales Episcoporum de jure nihil possunt: loquitur tamen restrictivè de provisione, seu consensu in recipiendis illis, quæ sunt necessitatis.

729 Cujus ratio est, quia secus illa verba (*qui hoc de jure possunt*) nullum producerent effectum, à Pontifice intentum; pro cuius rei Declaratione notandum: querelam, contra Clericos illos, depositam in eo stetit, quod recipebant beneficia sine consensu Episcopi,

Tom. III.

vel Officialium ejus, atque adeo sine titulo legitimæ Collationis, vel institutionis. 2. reprobari dictam Clericorum consuetudinem non tantum quod beneficia recipiant sine consensu Episcopi diocæsani, quo acquirunt titulum, sed etiam sine consensu Officialium ejus, statim subjungendo (*qui hoc de jure possunt*) nimirum dare consensum, seu titulum; at ex hoc sequitur, quod textus, loquens de Officialibus, loquatur restrictè, nimirum solum de provisione, quæ est necessitatis; ergo Min. probatur, quia, si, in quantum loquitur de Officialibus Episcoporum, non loqueretur restrictè ad provisionem beneficiorum, quæ est necessitatis; ut sunt beneficia electiva, & patronata, quoad electi confirmationem, & presentati institutionem, ea verba vel evaderent falsa vel nihil operarentur.

730 Probatur; nam, si non essent falsa, deberent verificari vel de provisione in beneficiis collativis, quæ sunt liberalitatis? vel electivis, & patronatis, quæ sunt necessitatis? vel de provisione in genere? at de provisione in collativis, verificari non possunt, & officiales Episcoporum de jure nihil possunt circa beneficia collativa, ut dictum est, sed nec verificari possunt de provisione in genere? hoc enim nunquam verificari potest, nisi eis competat aliqua species providendi, contenta sub tali genere; sed, juxta Barbofæ discursum, quod Officiales Episcoporum de jure possint providere beneficiis, & consensu suo dare titulum, non verificaretur in ulla specie providendi taliter beneficiis, contenta sub eo genere, ergo Min. probatur, quia providere in beneficiis per consensum dando titulum non explicat alias species, nisi provisionem in beneficiis vel collativis, quæ sunt liberalitatis, vel electivis, & patronatis, quæ sunt necessitatis, sed per Barbofam, quod Officiales Episcoporum hoc de jure possint, non verificatur de beneficiis, quæ sunt necessitatis, aliàs enim ex vi hujus textus admitteret, quod tamen negat haberi ex vi hujus textus, nec verificatur de beneficiis, quæ sunt liberalitatis nam hoc ipsum ille negat in suo argumento à n. 726. ergo non verificatur.

Y 2

verificatur in ulla specie sub tali genere; ergo ea propositio, contenta in textu (quod Officiales Episcoporum de jure possint dare consensum, qui in beneficiis, quorum provisio est necessitatis, atque adeo electivis, & patronatis, sufficiat pro titulo) hoc ipso esset falsa, quod dici nec debet, nec potest; ergo verè esse debet contradictoria: *Officiales Episcoporum, de jure possunt dare consensum, qui in beneficiis quorum provisio est necessitatis; atque adeo electivis, & patronatis, sufficiat pro titulo*, at sic est in electivis confirmatio; in patronatis institutio strictè sumpta; ergo Officiales Episcoporum de jure, & consequenter *ex vi Vicariatus*, per dictum c. *Ex frequentibus*, & textu ejus, rectè probantur, posse confirmare electos; & instituere presentatos. Hinc:

731 Ad argumentum Barboſæ, relatum in n. 727. *dist. ma.* textus non agit de sola institutione specialiter sumpta, quæ scilicet fit ad Patroni præsentationem. C. non agit etiam de illa. *N. ma. dist. etiam min.* sed si verba prædicta (*qui hoc de jure possunt*) starent expositivè, non tantum relatè ad Episcopos, sed etiam eorum Officiales, affirmando etiam hos de jure posse providere qualibet beneficia, possent etiam, contra communem, conferre beneficia sine commissione speciali. C. si expositivè, sed cum distinctione beneficiorum & personarum. *N. min. & cons.* hoc ipso enim quod textus dicat, Officiales Episcoporum (*hoc de jure posse*) eos distinguit ab eo, quod potest Episcopus, & per hoc indicat, se, loquendo *de Episcoporum Officialibus*, & affirmando, *istos de jure posse dare consensum* (qui Clericis recipientibus beneficia sufficiat, ne procedant in illis recipendis juxta priorem consuetudinem, hic reprobata) loqui restrictè quoad sola beneficia, quorum provisio est necessitatis, cum aliàs in nullo sensu verificari possent ea verba, *qui hoc de jure possunt*; non enim dicit eos hoc de jure posse in qualibet beneficiorum provisione; sed solum in aliqua, ea nempe, quæ est necessitatis, aliàs non bene culpantur illi Clerici, quod non requisierint consensum Officialium; cum constet, cum non

exigi in provisione beneficii collativi, seu provisionis libera, ergo solum in provisione electivi, & patronati, seu provisionis necessitaria, ut in superioribus probatum est. V. quæ dicemus ad hunc finem etiam n. 799.

Dubitari potest 1. an Summus Pontifex validè instituat in beneficiis patronatis Clericum, præteritâ Patroni præsentatione? 2. An Legati de latere? 3. An Episcopi? 4. An hi teneantur instituere præsentatum, si Patronus ei non assignavit competentem sustentationem ex redditibus Ecclesiæ Patronatæ intra terminum ab instituere præfixum? sed has, & similes quæstiones resolvemus inferius titulo 38. de Jure Patronatûs.

§. 3.

Quid juris habeant Regulares circa Vicarios instituendos in Ecclesiis, sibi univ. vel incorporatis?

NON loquimur de beneficiis Regularibus, sed Regularium, quæ scilicet ad ipsos pertinent titulo unionis, aut incorporationis factæ ipsorum Ecclesiis. De beneficiis Regularibus & quidem ad quem pertineat electionis confirmatio, vel postulationis admissio? si electiva sint? jam dictum est *lib. 1. tit. 5. & 6.* Si verò talia sint, quæ communiter per Vicarios provideri solent, dubitari subinde potest, an penes Dioecesanum, an Superiorem Regularem sit potestas ejusmodi Vicarios constituendi in talibus Ecclesiis?

Pro resolut. in hac materia meritò distinguendum est inter beneficia Regularia, & Regularium, cum enim plura sint beneficia, quæ solum Jure Patronatûs pertinent ad Regulares, & tamen administrari debeant per Seculares, non evadunt propterea regularia: sed erunt beneficia Regularium secularia: qualiter contingit, si Ecclesiæ Regulari æquè principaliter uniatur Ecclesiæ, seu beneficium seculare, de quo V. dicenda n. seqq. Deinde, inter ipsa beneficia regularia quædam sunt exempta à jurisdictione Ordinariorum; quædam non alia pleno, alia non pleno; jure illis incorporata, seu unita.

Not. 2.

735 Not. 2. duobus modis hanc in corporationem, seu unionem fieri posse, ut not. Gloss. in c. 3. V. *pleno jure*, de privil. 1. *non pleno jure*, quod fit, quando Ecclesia, vel beneficium illis solum quoad temporalia in corporatur; 2. *pleno jure*, quando illis unitur quoad temporalia, & spiritualia simul. Hoc postremum rursus fieri potest dupliciter; primò, *jure pleno*, & *plenissimo*, hoc fit, quando non tantum Ecclesia in temporalibus, & spiritualibus, sed etiam populus in Spiritualibus subjicitur Regularibus, vel monasterio, sic, ut etiam populus ab Episcopo Diocesano sit exemptus, vel, ut ait Gloss. magna in c. *quoniam* 21. de privileg. V. *Ecclesia Parochialis*, quando Episcopus nullum jus Episcopale in ea habet; intellige jus *jurisdictionis Episcopalis*; Sic etiam Abbas c. *De Monachis*, de præbend. n. 9. si autem Ecclesia in temporalibus, & Spiritualibus subjicitur Regularibus, Episcopo autem diocesano populus in Spiritualibus, dicitur Ecclesia in corporata, seu unita Regularibus *pleno jure*, sed non *plenissimo*.

736 Ex his sequitur 1. Regularibus non competere jus instituendi, vel destituenti Vicarium in Ecclesia Parochiali, vel Curata ipsis solum *jure non pleno unita*, nimirum quoad sola temporalia incorporata. Nam hoc est juris Spiritualis; ponitur autem illis non esse in spiritualibus unita. Unde, ubi ejusmodi Ecclesia unita est Regularibus solum quoad reditus temporales, illis non competit jus presentandi Vicarium pro tali Ecclesia; Laymann in c. 1. de suppl. neglig. Pralat. n. 7.

737 Si autem etiam jus presentandi est illis incorporatum, possunt presentare Vicarium Episcopo Diocesano, non ab ipsis, sed hoc instituendum, ut constet ex c. *In Lateranensi*, 31. de præbend. ibi. *Statuentes nihilominus, quatenus in Ecclesiis, qua ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem Consilii statuta, Episcopis instituendos Presbyteros representent, ut illis de plebis cura respondeant: ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem, institutus vero removere non audeant Episcopis in consultis.*

738 Sequitur 2. quando Ecclesia Paro-

chialis jure non pleno (nimirum quoad sola temporalia) incorporata est Regularibus, Monasterium, vel ejus superiorem nihil ferè juris habere, vel in personam Presbyteri, in tali Parochia positi, vel in curam populi, quia quoad hoc, ut ponitur in casu, beneficium Parochiale illis non est in incorporatum, posse tamen rationem temporalium ab eo, qui in tali Ecclesia institutus est, exigere, ut patet ex textu c. 31. in fine.

Sequitur 3. si Ecclesia Parochialis, vel curata, *plenissimo jure* incorporata est Regularibus, eorum Superiorem competere jurisdictionem quasi Episcopalem incorporata, consequenter etiam jus in Ecclesia sic unita instituendi, & destituendi Vicarios independentes ab Episcopo loci; Sic Layman. *cit. in c. 2.* de neglig. Pralat. n. 7. quia tunc Episcopus nullum Episcopale jus jurisdictionis in ea exercere potest, ut colligitur ex c. *Quoniam* 21. de Privil. Ex quo colligitur, etiam jus visitandi, & rationem administrationis exigendi à Vicario, & alia, quæ sunt juris Episcopalis, non supponentis potestatem ordinis Episcopalis, esse penes Regulares, vel Superiorem loci, cui taliter unita est illa Ecclesia.

740 Sequitur 4. in Ecclesiis Parochialibus, vel curatis, quæ Regularibus *pleno quidem jure*, sed non *plenissimo* in corporata sunt, *jus presentandi* Vicarium spectare ad Regulares: jus eum *examinandi*; & *instituendi*, ad Episcopum; Prima pars traditur à Barbosa c. *Extirpanda* 30. de præbend. n. 7. Secunda verò pars à Layman. *cit. n. 7.* & *Trid. Sess. 7. de Reform. c. 7.* quod tamen intellige juxta superius dicta, & numerum seq. Deinde not. sequelam procedere solum in hoc casu de beneficiis *non regularibus*, in quibus scilicet deservire debet Presbyter secularis, quando Vicarius deputandus est. Nam regularia per Regulares ministrari debent, quamvis & hi pro animarum cura ab Ordinariis locorum approbandi sint, quoad confessiones personarum secularium.

Not. autem, quæ diximus hæcenus 741 in Ecclesiis Regularium, ipsis incorpo-

ratis, Vicarios instituendos esse per ordinarios locorum, non autem ipsos superiores Regulares, quando illæ Ecclesiæ ipsis subsunt, jure solum non pleno aut pleno quidem, sed non plenissimo, debere intelligi primò, si non obstante unione manerent Ecclesiæ *Seculares*; Si enim factæ sint *Regulares*, de illis dicendum erit, sicut de beneficiis *regularibus*, de quibus à n. 159.

742 *Not. 2.* eadem dicta debere intelligi, spectato *jure communi*; nam aliud est, si *Regulares*, jus instituendi, & constituendi Vicarius in ejusmodi Ecclesiis, obtinuisent privilegio, quo juri communi derogatum esset, vel legitimâ præscriptione. *Not. 3.* verum esse vi *Trid. Sess. 7. de Reform. c. 7. pertinere ad Ordinarios* in beneficiis Ecclesiasticis curatis (quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuò unita, & annexa reperiuntur) ut ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, *solicite provisione procurare*, ut per idoneos *Vicarios etiam perpetuo*, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertia partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione etiam super certa re assignanda, ad idem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in præmissis minimè suffragantibus; & ex hoc textu à Barbosa *ibid. n. 15.* concludi, Ordinarios posse *temporales*, aut *perpetuos vicarios* constituere, in quibuscunque beneficiis curatis, quæ unita reperiuntur Ecclesiis Cathedralibus, Collegiis, & Monasteriis, etiam si in literis unionis expressa sit clausula, *ut possit deservire per Vicarios amovibiles*; sed hoc in pluribus limitari debet.

743 Primò enim non est in arbitrio Ordinarii constituere Vicarios perpetuos, vel ad nutum amovibiles in Ecclesiis, & beneficiis illis unitis, si unio facta sit post *Trid.* cum clausula (*ut Abbas, vel alius, cui unita est Ecclesia, possit ei de-*

servire per Clericos ad nutum amovibiles) secus, si antè; ratio est, quia clausula illa derogativa non operetur ad posterius concessa, sic Nicol. Garcia *p. 11. c. 2. n. 9.* & alii quos citat, & sequitur Barbosa in dict. *Sess. 7. c. 7. n. 16.*

Secundò si unio facta est, *per viam pacti, & concordia*, per Papam approbata, cum clausula: *ut tali Ecclesiæ serviat per Vicarium ad nutum amovibilem*, non potest Episcopus ponere in illa Vicarium perpetuum, ita Sanchez in *Decal. tom. 2. l. 7. c. 29. n. 191.* quia ex clausula derogativa in hoc decreto contenta, non tollitur pactum, & concordia per summum Pontificem approbata, 3. Si à tempore immemoriali unio facta est, & ex tunc constat, vicarios fuisse admodum amovibiles, scientibus, & consentientibus Ordinariis, nec nunquam Vicarium perpetuum fuisse constitutum, ita Sanchez cit. *§. tertio fallit*, Barbosa in dict. *c. 7. n. 16.* Quartò, si Regulares præscriperunt jus constituendi in illis Ecclesiis Vicarium ad nutum amovibilem; ut, si bonâ fide per tempus jure definitum ipsis in ejusmodi Ecclesiis semper constituerint tales Vicarios, præferendo illos Ordinario, non instituendos, sed solum approbandos pro animarum cura; ratio est ex dictis in præcedentibus *n. 740.*

745 Quintò non est in arbitrio Episcopi in Ecclesiis, quæ unitæ sunt monasteriis Monachorum, aut Mendicantium ponere Vicarium *perpetuum*, sed tantum ad nutum amovibilem, quia licet Tridentinum ibi indefinitè, & generaliter loquatur, postea tamen Quis V. in quodam motu proprio incip. *ad exequendum pastoralis officii debitum*, illud decretum *Trid. Sess. 7. c. 7.* restrinxit, ut notat Sanchez cit. & apud illum Flores de Mena, *Variarum qq. q. 10. n. 40.* dicens: *sic fuisse declaratum in Curia Romana, & Congregatione Cardinalium.* Sextò, decretum Tridentini non habet locum in casu, quo ex privilegio, *remuneracionis gratiâ*, concessio beneficium esset unitum cum clausula *ponendi Vicarium ad nutum amovibilem*; Quia, licet Concilium derogat in eo decreto sub hac clausula: *appellationibus, privilegiis, exemptionibus,*

ptionibus, etiam Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in premissis minimè Suffraganeis: Sub hac tamen generali privilegiorum derogatione non clauduntur privilegia concessa, causâ remunerationis, ut teste cit. Sanchez bene probat Flores de Mena q. 10. n. 46.

746 Et ideo doctrina tradita ex Tridentino, de potestate Episcopi ponendi Vicarios in Ecclesiis, quæ Regularibus unitæ sunt, quoad animarum Curam, non habet locum in illis, quæ sunt de mensa, seu, quæ unitæ sunt ad mensam conventus, seu Collegii, quia scilicet percipit fructus in solidum, & per se, aut suos Clericos, seu Clericos, seu Capellanos, quibus solvit stipendium, infertur tali beneficio. Hinc in his nihil potest Episcopus cum ejusmodi beneficia nunquam vacent, ut dictum est n. 299. Imò præfatus Author n. 21. (ut notat Barbosa.) expressè docet, verius esse, quod Regulares Vicarium ad nutum amovibilem ponere possint in eo beneficio, quod pleno unitum est Monasterio, in temporalibus, & illis Spiritualibus, quæ pertinent ad curam animarum, licet non in his, quæ sunt supra curam, scilicet in visitando, excommunicando, jure dicendo, &c. Adverte tamen, quod Barbosa c. Extirpanda, de præbend. n. 7. videatur aperte sibi contrarius in his, quæ docuit ex Mena in c. de Monachis n. 4.

747 Dices I. quæ diximus n. 739. non coherere cum dictis n. 141. Nam n. 739. diximus Vicarios perpetuos, vel temporales in Ecclesiis Curatis Monasteriorum poni ab ipsis Superioribus, non ab Ordinario, & in n. 741. dicimus, ejusmodi Vicarios in talibus Ecclesiis poni ab Ordinario, & non à Superioribus Regularibus. R. hanc apparentem repugnantiam facile conciliari, dicendo Vicarios in illis Ecclesiis esse deputandos ab Ordinariis, quando Regularibus non sunt incorporata jure plenissimo; & à Superioribus Regularium, quando illis incorporata sunt jure plenissimo.

748 Dices 2. ergo quando Ecclesia curata Regularibus unitæ non subsunt illis jure plenissimo, non Superiores Re-

gularium, sed Ordinarius in illis Ecclesiis ponere potest Vicarios. R. hoc affirmari à Barbosa in Trid. Sess. 7. de Reform. c. 7. n. 15. quamvis sibi contrarius sit in Sess. 25. de Regul. c. 11. ubi affirmat oppositum. Pro resolut. Not. aliud esse, ponere Vicarium in Monasteriis, seu Monasteriorum Ecclesiis, quibus vel ex fundatione, vel ex annexione incumbit cura animarum personarum secularium; aliud, illum ponere in Ecclesiis Curatis, quæ non sunt in Monasteriis, sed tantum unitæ sunt illis. Not. 2. quod Trident. Sess. 25. de Regul. c. 11. loquetur de Vicariis exercentibus curam animarum in Monasteriis, vel illorum Ecclesiis Curatis, & decretum Sess. 7. loquatur de Vicariis exercentibus curam animarum non in Ecclesiis ipsorum Monasteriorum, sed aliis extra illa, iis tamen unita. Ex his patet nullam esse dictorum repugnantiam, quia in uno loquitur de Ecclesiis Curatis in ipsis Monasteriis, & in his, non Ordinarius, sed Superior Regularium ponit Vicarium, vel perpetuum, vel temporalem: in altero loquimur de Ecclesiis Curatis non in ipsis monasterii, sed extra illa, unitis tamen illis, ut monui superius, & in his non Superior Regularium, sed Ordinarius ponit Vicarium perpetuum, vel temporalem de jure communi.

Demum etiam negari potest in Sess. 749 7. c. 7. Episcopis concedi facultatem, ponendi Vicarios in Ecclesiis Curatis, quæ unitæ sunt Regularibus jure pleno, licet non plenissimo, quia ibi solum dicitur: Ordinarii sollicitè procurent, providere de Vicariis, non autem dicitur, quod ab ipsis provideri debeat de Vicariis; sed tantum, quod ab ipsis procurari debeat provisio Vicariorum; quod salvatur, si eos ponant Regulares, sed non nisi debite exanimatos, & approbatos ab Episcopo, vel si hoc Regulares negligerent, ipsi Ordinarii eos ponant.

750 Quæstio ulterior est I. an in Ecclesia taliter unita Vicarius debeat esse secularis, vel Regularis? Respondet Pirhing de præbend. n. 218. Si Rector Principalis Ecclesiæ, cui facta est in corporatio beneficii Parochialis, sit secularis, non posse in ea institui Vicarium Regularem, nisi aliter constitutum sit in literis fundatio-

dationis, vel unionis, vel contraria esset consuetudo, quia status Ecclesiæ non debet mutari: Si verò Parochia sit unita Monasterio, potest Abbas Vicarium Regularem ad nutum ejusdem revocabilem, seu obediensarium constitutere; ita Pirhing. cit. ex. *Cum ad Monasterium §. tales* de statu Monach. & Clem. unic. de suppl. negl. Prælat. nisi aliter expressum sit in literis unionis, præsertim si Vicarius intituletur, Layman in c. 2. de suppl. negl. Prælat. Sed hoc intellige, si beneficia, sic unita, sint *Regularia* ut in cit. c. *Cum ad Monasterium*, notat Barbosa n. 8.

751 Quæstio est 2. ex quibus causis, in quibus Ecclesiis, & à quo constitui possit Vicarius perpetuus? R. posse institui in Ecclesiis parochialibus, vel curatis, quæ alteri Ecclesiæ, vel Collegio Canonicorum, aut seminario Clericorum, vel Cœnobis Monachorum, Academia, hospitali, aut alteri loco, pietatis causâ extracto, vel etiam dignitati, aut præbendæ, sunt annexæ, ut dicitur c. *Extirpanda §. qui verò*, de præbend. 2. quando intra Parochiam Capella constructur, eo, quod populus, Parochiæ subiectus, sit magnus, & ad eam convenire non potest, ut dicitur c. *Ad audientiam*, de Eccles. ædific. à quo autem possit, aut debeat constitui Vicarius, si sermo sit de Ecclesiis unitis alteri jam dictum est. Not. præterea ex Rebuff. in praxi beneficior. tit. *dispensatio, de non residendo n. 14.* quod Curatus in casibus, quibus non tenetur residere, possit suâ autoritate, ex causâ, Vicarium ad modicum tempus constituere, ita Doctores in c. *si quis 7. q. 1. c. Cum ex eo* de Elect. in 6. in Clem. unic. de offic. Vicarii, & facit textus in c. *final.* de Offic. Ordin. excipe, nisi hoc prohibeat statutum Synodale, vel provinciale, quo stante non valet consuetudo, quod inferior Episcopo possit in Ecclesia curata instituere Vicarium ad tempus, sic Rebuff. cit. n. 15.

752 Quæstio est 3. ex quibus causis soleat constitui Vicarius ad tempus? R. esse plures, 1. si quis legitime habeat duas, vel plures Ecclesias, in quibus servire, ei commorari non possit, tunc enim per se ipsum in una, in altera per Vicarium

deservire debet ex c. *& temporis 26. q. 11. 2.* si Rector Ecclesiæ, propter negotia, & occupationes, quibus ratione sui muneris, & officii, detinetur c. *ad hac* de Offic. Archid. & c. 1. de celebr. Miss. 3. Ratione peregrinationis ad pia, & religiosa loca susceptæ. c. *fin.* de voto, & voti redempt. 4. ratione agritudinis, & valitudinis incommodæ, ut Constat ex tit. de Cleric. agrot. 5. ratione justæ absentiæ, autoritate Episcopi approbatæ. c. *Relatum.* de Clericis non resid.

Sexto ratione diversæ Nationis, alio fermone, & linguâ loquentis, cui Rector præficitur. c. 5. de offic. ordin. 7. causâ habendi conciones ad populum c. *Inter Cætera*, de præbend. & c. quod *DEI timorem*, de statu Monach. 8. Cum Rector ex officio & ministerio deicitur, vel à loco removetur, c. *ad audientiam*, de Eccles. ædif. 9. Cum Rector se confert ad statum vitæ Religiosæ, & in probatione versatur, c. *de Monachis.* de præbend. 10. denique, causâ necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ c. *Exposuisti*, de præbend. vel cum id cedit in majus incrementum divini cultus c. *Illud*, & c. *Nihil 7. q. 1.*

Difficultas est, quid dicendum in hoc casu? Superior Regularis, habens plures parochias, suo monasterio, vel Collegio, pro fundatione suæ domûs, legitime incorporatas, per recessum, seu concordata, legitime facta, in illis Ecclesiis (amato, vel mortuo vicario ad nutum amovibili) potest ponere alium vicarium, sic tamen ut teneatur eum Ordinario præsentare pro approbatione ad curam animarum, *si nondum sit approbatus in ea Diœcesi; si verò jam semel sit approbatus in ea Diœcesi, solùm teneatur Ordinario, seu Diœcesano insinuare, quòd hunc Clericum, jam aliàs in hac Diœcesi approbatum, constituat, in tali Ecclesia sua, Vicarium: contingat autem quòd Diœcesis sit ampla v. g. Complectens Carinthiam, vel styriam, eamque inferiorem, & superiorem, & in inferiore alius sit officialis cum jure approbandi pro cura animarum, alius, in superiore.*

In hoc casu quæstio est, an Superior Regularis, volens in ejusmodi Parochia, sibi subiecta, constituere novum Vicarium, in ea Diœcesi jam semel approbatum, teneatur Ordinario rursùm præsentare

pro approbatione, vel tantum insinuare, se constituere talem Vicarium in ea Diocesi jam approbatum? in hac quaestione, plures viri timorati, & hujus materiae intelligentes, à me consulti censuerunt unà mecum in tali casu Superiorem Regularem (stante hoc recessu, & concordatis) non teneri ad presentandum pro animarum cura, sed tantum insinuandum, se talem Clericum, jam alias in eadem Diocesi pro animarum cura approbatum, constituere Vicarium in Ecclesia sibi subiecta. Nam ut superior Regularis in tali casu licet, ac validè pro Vicario, Clericum constituat, *vi dicti recessus*, seu *vite concordie*, Clericum jam semel in ea Diocesi approbatum non tenetur iterum siltere, seu praesentare pro approbatione, pro animarum cura, sed tantum insinuare; at qui in hoc casu constitueret pro Vicario talem; ergo.

756 Dices, id verum esse, ubi tantum est unus Officialis Episcopi; sed si sunt distincti, & unus in una parte Diocesis, inferiori v.g. alter in alia, v.g. superiori; nam eo casu approbatus ab Officiali partis v.g. inferioris, non habetur approbatus pro parte superiori: sed hoc in dato casu non rectè opponitur. Nam ista distinctio Officialium non facit, quòd sint distinctae dioceses, ergo non facit, quòd approbatus ab Officiali partis inferioris non sit approbatus pro Diocesi, ad quam pertinet pars inferior, & superior; cum diocesis complectens utramque, sit una eademque Diocesis.

757 Deinde, quaro, an, qui est approbatus in parte inferiore Diocesis A. verificet, quòd sit approbatus in Diocesi A. vel non? si primum? habetur, quòd petit recessus, seu concordia inita, consequenter opus est solà insinuatione: si secundum? is, qui committeret delictum in parte inferiori, Diocesis A, reservatum in Diocesi A. non verificaret, quòd deliquerit in Diocesi A. quòd tamen vix rectè dici potest; si autem sequelam neges, etiam negare debes approbatum in parte inferiori ab Officiali Episcopi Diocesis A. non verificare, quòd sit approbatus in Diocesi A.

758 Respondent aliqui, verba recessus accipienda esse, non simpliciter, sed juxta usum & consuetudinem, quòd approbatus ab uno Officiali censetur quidem ap-
Tom. III.

probatus pro toto districtu Officialatus, cui praest; sed non extra illum, cui praest est alius? sed contra est 1. quia haec expositio est contra claram literam recessus, utrinque onerosi, ubi solum exigitur, quòd sit approbatus in tali Diocesi; quae propositio indefinita est; nam exponens illam non est indefinita; sed restricta ad partem Diocesis; ergo expositio ista non tenet; cum propositio exponibilis, & exponens debeat aequipollere.

Contra est 2. quia contra eum, qui potuit conventioni, quam inivit, exceptionem adicere, & non adiecit, fieri debet interpretatio; nam si voluisset, expressisset, L. unica, §. sin autem. C. de caduc. tollend. L. si servus. §. Praetor ait. vers. non dixit. ff. de acquirend. hered. c. Ad audientiam 2. de decim. & c. 2. de ransact. Lex enim id noluisse praesumitur, cum facile id exprimere potuisset, & non expressit; ut ait Menochius Consil. 30. n. 8. & quòd non dicit, non est ab homine praesumendum. L. dissentientis, C. de Repud. c. Illa, ne Sede vacante: praesertim, quando agitur de conventionem aequosa, & unus convenientium verba conventionis, generaliter loquentia, in gravamen alterius exponere vellent restrictè, sed in dicto recessu (ubi dicitur, sufficere solam insinuationem, sine nova praesentatione pro animarum cura, si Clericus in Vicarium, à superiore Regulari, assumendus, jam semel sit approbatus in tali Diocesi) nulla apponitur restrictio limitans verba illa prout ea limitat pars adversa, licet, si voluisset illum adicere, potuisset; ergo vi dictorum juris habenda est pro non adiecta, concludendumque, quòd Ordinarius in ea conventionem noluerit.

ARTICULUS III.

De instituendis in Ecclesiis, seu beneficiis Ecclesiasticis.

760 Quae pertinent ad habilitatem subiecti eligend, vel providend in beneficio electivo, exposuimus l. I. in tit. 5. & 6. quaestio igitur in praesens est de habilitate providendorum in beneficiis collativis, & Patronatis. Primò igitur in recipiente beneficium (via collationis, vel institutionis

tionis propriè dictæ) conditio requisita est legitimorum natalium, *ve, vel juris fictione*, seu legitimatione ex c. *Innotuit*. 20. de *Elect.* ubi dicitur: illegitimum posse *postulari*, non autem *eligi*, de quo plura eod. *lib. tit.* 17. de *filiis Presbyt.* & c. 1. eod. *in* 6. Altera conditio est *ætas legitima*, & conveniens tali beneficio, de quo est actum *lib. 1. tit.* 14. de *ætat. & qualit.* ordine præficiendorum. Hinc pueri non sunt idonei ad Ecclesiastica beneficia obtinenda c. *super* 35. de *præbend.* Puer autem propriè dicitur, ætate à 7. ad 14. annum, à quo incipit adolescentia, sic Abbas *incit. c. super. n.* 4.

761 Tertia est, *Clericatus*, seu *status Clericalis*, qui etiam primâ tonsurâ obtinetur per c. *Cum contingat*. 11. de *ætat. & qualit.* Nam Laicus, quàm diu talis est, non est capax beneficii Ecclesiastici obtinendi c. 2. de *Instit.* & c. *Ex literis* 6. de *transact.* & quamvis Laicus solum jure humano prohibitus sit, acceptare beneficium, dum adhuc Laicus est; retinere tamen illud cum statu laicali etiam jure divino prohibetur, ut notat Barbosa in c. 2. de *Instit.* à n. 3. *Not.* autem *vitiôsè tonsuratum* (hoc est, ab alieno, sine licentia sui Episcopi) in ordine ad effectum recipiendi beneficii, sine dispensatione, in habilem esse; Pirhing. de *præbend. n.* 102. Quarta, quòd habeat *Ordinem*, quem in recipiente exigit beneficium; hoc enim datur propter Officium. c. *Licet* 14. de *Elect.* in 6. *junct. gloss. V. annum.* Clem. 2. de *ætat. & qualit.* *Trid. Sess.* 22. c. 4. & *Sess.* 24. c. 12. de *Reform. V. dict. l. 1. tit.* 14. de *ætat. & qualit.* Hinc si in beneficii fundatione dicatur, quòd *debeat conferri Sacerdoti*, requiritur, quòd tempore collationis sit *actus* Sacerdos; quia qualitas, *junctâ verbo*, determinatè accipi debet, secundum tempus verbo expressam, sic Barbof. in c. 3. de *privil. n.* 27. & Ancharanus apud Pirhing hic n. 104. §. *not.* 2. ubi subjungit collationem beneficii ex defectu Ordinis, non vitiari.

762 Quinta, quòd recipiens beneficium, *nullâ censurâ*, vel *irregularitate* sit irretitus; quia sic nequit præstare officium, propter quod datur beneficium; Sexta, quòd sit *dignus*, & *idoneus*, qui beneficium recipit. c. *Grave nimis* 29. *b. t.* ubi dicitur, quòd Prælati personis indignis conferentes beneficium quocumque, & moniti se non corrigentes, in Concilio Provinciali suspendantur à collatione omnium benefi-

ciorum, & ea potestas devolvatur immediate ad Papam. c. *Quia* 5. de *concess. præbend.* Si autem Collator sit Metropolitanus, à Concilio (nimirum provinciali) denunciandus est Superiori suo, ac ejus arbitrio relinquendus; sic c. *Grave nimis*, cujus dispositio innovatur per *Trid. Sess.* 7. c. 3. de *Reform.* ubi talis collatio, irritanda decernitur. An autem sufficiat sola idoneitas, & dignitas, vel quandoque debeat, ceteris paribus, assumi dignior dictum est à n. 718.

Cum autem idoneitas, & dignitas 763 communiter dici debeat per examen promovendorum ad beneficia; quæstio esse potest, an *semel* examinati, & approbati, tanquam digni, ac idonei, pro beneficio rursum examinandi, ac approbandi sint, si ad aliud promoveantur? *R.* 1. examinatum, ac approbatum pro sacris ordinibus, non posse denuò subjici examini pro beneficio *simplici*; sic Garcia de *benefic. p.* 9. c. 3. n. 15. Nam, *dignus illis*, non eger aliâ dignitate ad beneficium simplex. Quod etiam procedit de semel examinato, & approbato ad beneficium *simplex*, *Canonicatum*, vel *dignitatem*, Barbof. in *Trid. Sess.* 7. de *Reform. c.* 13. n. 18.

R. 2. Examen novum non esse necessarium in provisionibus faciendis de beneficiis (intellige *similibus*) causâ permutationis; sic Parilius de *resignat. benefic. l.* 8. q. 9. n. 95. secus in *dissimilibus* v. g. in permutatione *simplicis* cum *Curato*; ratio primi est, quia tali casu supponitur idoneitas nota (nimirum per prius examen habita) Clerici recepturi novum beneficium *priori simile*; cum posterius non exigit majorem idoneitatem per se loquendo, quàm illud, pro quo constat dignus, & idoneus esse, secus est, si secundum sit majus, & qualificatum propter rationem contrariam; ex quo habetur ratio secundi.

R. 3. Eos, qui obtinent collationem Canoniatum, & aliorum simplicium beneficiorum in Ecclesiis Collegiatis, vel aliis exemptis à jurisdictione Episcoporum, nullo decreto Tridentini teneri eos, quibus dicta beneficia conferunt, Episcopis præsentare, ut ab eis approbentur prævio examine; sic Barbof. in *Trid. Sess.* 7. de *Reform. c.* 13. n. 16. Et quamvis Fagnanus in c. *Accepimus*, de ætate & qualitate n. 14. censeat, examinandos non esse *quoad doctrinam*, *privilos* de Canoniatibus in *forma dignum*,

dignum, si jam Diaconi, vel Presbyteri sint; id tamen intelligi debet, nisi ratione alicujus annexi muneris in provisio exigatur major literatura; hæc enim utpote *qualitas extrinseca*, non præsumitur.

Unde etiam, quando Fagnanus *cit. n. 39.* dicit, examinatum semel, & approbatum ad beneficium Curatum, vel Parochiale, non teneri *ad simile* se iterum examini subicere; secus, si *ad majus*, intellige, quoad literaturam, seu doctrinam; limitari debet, ut non procedat, si transeat ad aliam Parochiam alterius Diocæsis, ubi notus non est. 2. si approbatus est cum aliqua restrictione, ut magis se funder in scientia necessaria. 3. Ut solum procedat in eodem Examinatore & Approbatore. 4. Si nova causa superveniat. 5. Si deprehendatur successu temporis in promotio scientiam deficere, quam prius non magnam habuit, præsertim, cum raro admodum, semel promoti, scientiæ animarum curæ necessariæ, privato studio aliquid impendant.

ARTICULUS IV.

De Institutione, seu investitura.

766 **A**nte *resol. not.* ex dictis, *institutionem* latè sumptam, aliam esse, per quam titulus, seu jus beneficii confertur; aliam per quam datur ejus possessio; illa fit per literas præsentato datas ab Episcopo, cujus est instituire, ista per investituram corporalem & missionem in possessionem beneficii (vulgò installatio) vocari solet, ut notatur in *Gloss. ad c. Per illarum de præbend. V. investivit.*

767 **N**ot. 2. In vestituram aliam esse *verba-lem*, quæ fit per certa verba, & traditionem alicujus signi. v.g. bireti, clavium, &c. aliam *realem*, quæ fit per corporalem inductionem in possessionem; & hæc de jure ad Archi-Diaconum spectat, vel interdum ad Episcopum, vel Delegatum ab illo, per c. *licet Episcopus 28. de præbend. in 6.* ibi: licet Episcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebas (postquam aliud recepisti consimile, ac ipsius possessionem pacificam habuisti, vel per te stetit, quo minus haberes eandem) possit alteri de jure conferre: illum tamen, cui contulerit, non debet te non vocato (cum tibi forsitan jus possit competere retinendi) *in possessionem ipsius inducere corporalem.* Et ideo, ut dicitur in c. *Proposuit. 4. de Concess. præ-*
Tom. III.

bend. licet investitura *verbalis* (v.g. traditio annuli, quæ fit in absentia ipsius rei, pro qua quis investitur) tribuat *jus in re* (ut notat Pirhing. *cod. n. 44.*) non tamen dat possessionem *corporalem*; sic Barbof. in c. 4. *de Institut. n. 3.*

768 **N**ot. 3. Ante omnes prædictas institutiones, vel investituras, in beneficiis curatis, præviè necessariam esse institutionem, quam dicunt *authorizabilem*, in eo sitam, quòd Curato detur jurisdictio, seu potius approbatio pro cura animarum, & Sacramentorum administratione, deduci communiter ex *Trid. Sess. 23. de Reform. c. 15.* ibi: quamvis Presbyteri, in sua ordinatione, à peccatis absolvendi potestatem accipiunt; decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur, esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.

769 Possset tamen alicui videri hoc non deduci ex isto textu Tridentini. Nam approbatio pro audiendis Confessionibus secularium, ex vi hujus textus, videtur solum exigi, quando providendus nec per examen, nec aliunde idoneus videtur, nec etiam beneficium parochiale obtinet; ex hoc enim sequitur, si unum ex his in eo verificetur, posse talem audire confessiones Secularium; sed fieri potest, quòd Parochiale beneficium obtineat, licet non præcedat approbatio; nam aliud est, *judicari dignum curæ à animarum*; aliud *approbari ut talem, ut alicui conferatur curatum beneficium*; primum necessarium est præviè; sed non secundum.

770 Circa istam dubitationem videtur certum, quando in dicto Tridentini textu pro audiendis secularium Confessionibus exigitur *approbatio*, per istam non significari *collationem potestatis ad absolvendum sacramentaliter à peccatis*; cum, ut loquitur Concilium, *Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant.* Videtur igitur ibi per *approbationem* intelligi solum iudicium de illius idoneitate, vel actum, quo Episcopus, oves sibi, suæque pastorali curæ commissas talis Sacerdotis

eorum potestati subijcit ad impediendam illis, ac recipiendam absolutionem à peccatis, vel utrumque, si approbatio sumatur primo modo, non est dubium, eam requiri *præviè*; si secundo, vel tertio, non videtur requiri *præviè*, ad institutionem in tali beneficio; cum Episcopus Presbytero conferendo, vel cum instituendo in beneficio, ipso facto *simul* subijciat Parochianos illius loci.

771 *Not. 4.* In multis locis (cum institutus duplex jus accipiat, nimirum spirituum, & temporalium) curatorum investituram in spiritualibus fieri, novum Parochum in Ecclesia proponendo Parochianis, qui ibidem publicè deponat juramentum fidei, & obedientiæ, & insignia Parochialia accipit, in temporalibus autem deducendo eum in domum Parochialem, claves, redditus, & Parochiales fructus ipsi assignando.

772 *Not. 5.* Eum, qui absque Diocesani, vel alterius Superioris consensu, possessionem *beneficii* apprehendit, *intrusum* dici, & si occupet *vi*, eo ipso perdere jus, quod ad illud habebat, sic, ut ipso facto vacet, notanter autem dixi possessionem *beneficii*, nam secus est, si tantum *prædii* ad beneficium spectantis; c. 18. de *præbend. in 6.* & Barbofa *ibid. n. 2.*

773 Difficultas porò est circa investituram in temporalibus; nam in quibusdam locis Advocati Ecclesiarum, vel Domini terrestres, illam sibi arrogant *privativè* ad Episcopum, & Superiores Ecclesiasticos, an jure, an injurià status Ecclesiastici? hic non disputo. Illud certum est, Patronis vel Advocatis laicis, *vi Patronatus*, vel *Advocatia*, de jure non competere jus investituræ, etiam in temporalibus, ut constabit ex tit. 38. de Jure Patronatus. Dixi de jure, & *vi Patronatus*, vel *advocatia*. Aliud enim est, si haberent ex privilegio, conventionè legitimâ, vel justâ consuetudine, inductâ scilicet de consensu Cleri, approbato per legitimum Superiorem Ecclesiasticum.

ARTICULUS V.

Intra quod tempus beneficiorum provisiones fieri debeant?

774 De hoc agitur in c. Nulla. 2. §. Cum verò, de *præbend.* ibi: cum verò *præbendas* Ecclesiasticas, seu qualibet officia, in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non

diu maneat in *suspensio*, sed intra sex menses personis, qua dignè administrare valeant, conferantur: si autem Episcopus, ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur; quòd, si ad Capitulum pertinuerit, & intra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus, secundum DEum, hoc cum religiosorum virorum Concilio exequatur: vel, si omnes forte neglexerint, Metropolitanus de ipsis, secundum DEum, absque illorum contradictione disponat; Nam *dilatatio est Ecclesiæ damnosa, & animabus perniciofa.* c. Quam sit 6. de *elect. in 6.* ibi: *quam sit Ecclesiæ ipsarum dispendiosa vacatio, quam periculosa etiam esse solet animabus, non solum jura testantur, sed etiam Magistra rerum efficax experientia manifestat.* Et hæc constitutio procedit non tantum in collationibus, sed etiam electionibus, etiam beneficiis Regularibus c. *Dilectus. 12. de concess. præbend.* ubi dicitur, quòd si electio *Episcopi*, vel *Archi-Episcopi*, si non fiat in *Semestri*, non devolvatur ad alios; quia Concilium Lateranense quod dicitur de *Semestri* intelligit de *personatibus*, & minoribus beneficiis, imò etiam in hospitalibus conferri solent in *titulum*; non autem in *Prælaturis principalibus Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium*; Nam hæc ultra tres menses vacare non debent, propter majus periculum. c. ne pro defectu 41. de *Elect.* ibi: statuimus: ut ultra tres menses *Cathedralis Ecclesiæ*, vel *Regularis, Prælato non vacet; intra quos* (impedimento cessante) *selectio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant eâ vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximè præesse dignoscitur, devolvatur*; is verò, ad quem fuerit devoluta potestas, DEum præ oculis habens, non differat ultra tres menses, cum Consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium, *viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiat, in illa Canonice ordinare*: si canonicam voluerit effugere ultionem.

Ex his juribus deducitur, tempus, 775 intra quod de jure provideri debet Prælaturis principalibus Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium; esse *trimestre*, inferiorum autem, *semestre*, ita quidem, ut, si pereos, ad quos pertinet ejusmodi provisio intra tempus à jure definitum eâ provisio negligatur, jus providendi pro ea

ea vice devolvatur ad superiorem, juxta dicenda in sequentibus. Dixi, si negligatur, quod importat aliquam culpam ab eo, qui providere debebat, admiffam, hac autem non adest, ubi obstat justum impedimentum, vel ignorantia vacationis, ergo. Unde in hac materia, quaestio est 1. qualiter accipiendum, cum dicitur, quod hoc tempus non currat impedito, à provisione tunc faciendâ; nec etiam ignorandi vacationem beneficii? ante resolutionem, quaestio not. hanc peti posse ex c. Quia diversitatem 5. de Concess. prabend. ubi, cum Archiepiscopo Eboracensi, ab officio suspensio, nonnulli durante suspensione beneficia, ad ejus collationem spectantia, accepissent, re intellectâ mandati Pontifex, ut detentores, ad ea dimittenda complectantur, nisi, vel ex speciali mandato Sedis Apostolicæ, vel Autoritate Lateranensis Concilii à Capitulo easint adepti. Neque vult tempus suspensionis; & quo Archiepiscopo ad Sedem Apostolicam accessit, & apud illam remansit, vel recessit ab illa, intra sex menses à Concil. Lateran. præfixos, neque hos à tempore vacationis prabendarum, sed notitiâ ipsius computari.

776 Ex hac definitione Pontifex deducitur 1. quod tempus faciendâ provisioni Ecclesiarum præfixum, non currat legitime impedito; Nam, ut loquitur Pontifex in dict. c. Quia diversitatem, illa Concilii Lateranensis Constitutio (quod si provisio non fiat inter tempus à jure definitum) contra negligentes tantum fuit promulgata, justè autem impeditus à faciendâ provisione intra tempus debitum, non est negligens, & hoc procedit, sive impedimentum sit juris, sive facti. v.g. Si Collator sit suspensus, aut, si post absolutionem à suspensione adhuc maneat apud Sedem Apostolicam, ex quibus primum est impedimentum juris; alterum, facti; de utroque hoc ipsum est expressum in textu, primum quidem ubi: tunc, se voluerit, non tamen valuerit Archiepiscopus ipse in conferendis beneficiis, uti propria potestate, à qua cessi fuerit suâ culpâ suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa prabendarum erat donatio devoluta, sed ad illum tempore suspensionis illius prabendarum donatio pertinebat, qui (præter ejus desiderium, at negligentiam) poterat prabendas do-

nare; Secundum autem verbis immediate sequentibus, ibi: tempus etiam, quoad Apostolicam Sedem accessit, & apud illam remansit, vel recessit ab illa, intra sex menses nullatenus computetur.

Si dicas: quando quis suâ culpâ incidit in poenam v.g. privationem juris eligendi, vel conferendi beneficia, non excusatur ab ea poena. arg. L. 2. §. ult. ff. si quis caut. Sed sic se res habet, cum quis non potest conferre beneficia propter incurfam suspensionem, vel excommunicationem; cum hæc poenæ non incurrantur sine culpa, ergo. & cum dist. maj. quando quis suâ culpâ incurrit poenam directè ordinatam ad puniendam talem culpam non excusatur ab ea poena, transeat, directè ordinatam in aliam culpam. N. maj. & absolute minorem, nam privatio juris conferendi beneficia, tanquam poena, non ordinatur directè ad puniendam quamvis culpam, cui statuitur poena suspensionis, ex qua consequenter fit, à suspensio non potest conferri beneficia; Sed solum ordinatur in culpam negligentia commissæ in non providendo beneficiis, cum posset, & deberet; at hoc se non habet ita in casu, quo Collator suspensus est, licet hanc censurâ meruerit suâ culpâ, ut aperte dicitur in ipso textu. ergo.

Deducitur 2. quod tempus, à jure definitum pro faciendâ beneficiorum provisione, nec curat impedito, nec ignorantia vacationem beneficii, constat ex dict. c. Quia diversitatem, in fine, ibi: Semestre autem tempus, non à tempore vacationis prabendarum, sed notitiâ potius ipsius volumus computari, ubi nota, tempus, quod currit etiam impedito, esse continuum, quod autem non currit impedito, vocari utile, secundum Gloss. margin. in c. Bene novit. 18. dist. 61. lit. 13. Ex hoc habetur, quod tempus sex Mensium, datum ad conferendum, non est numerandum à die vacationis simpliciter, sed à die vacationis illi notæ, ad quem pertinet collatio, ut cum aliis tradit Garcia p. 10. c. 2. n. 15. & 27. atque adeo tempus intermedium à die vacationis usque ad diem acceptæ notitiæ de vacatione beneficii esse utile, nisi præfixum sit, non in odium negligentia, sed in favorem tertii, vel alterius, nam tali casu volunt aliqui, quod etiam currat impedito, & ignorantia, arg. L. Genero 8. ff. de his, qui not. infam.

779

Quæstio est 2. qualiter in casu negligentia potestas providendi pro ea vice devolvatur ad alium? R. Si ad Episcopum jure proprio spectat collatio beneficii vacantis, & hic illud non confert intra debitum tempus, potestatem ejus conferendi, devolvi *ea vice* ad Capitulum, jure sic disponente, propter Communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum, tanquam inter caput, & membra ejusdem corporis; Si spectet ad Capitulum, & similiter intra tempus præfixum non conferat, devolvi ad Episcopum: utroque negligente, ad Metropolitanum ex c. *Nulla* §. *si autem* de concess. præbend. Unde sequitur, quod potestas conferendi beneficia devolvatur *gradatim* ab inferiore ad proximum superiorem, donec veniatur ad Papam. Dixi si collatio spectet ad Episcopum *jure proprio*, quatenus scilicet est illius Ecclesiæ Episcopus, in quo jure etiam Capitulum aliquo modo communicat; non verò, quando ad eum spectat *jure devoluto*, sic Azor p. 2. l. 6. c. 27. Nam tali casu Episcopo, negligente, potestas devolvitur ad Metropolitanum. Et hoc procedit etiam in Collatoribus Regularibus, in quorum negligentia potestas conferendi beneficia devolvitur ad Ordinarium, in cujus Diocesi ea sita sunt, si Prælati non sint exempti; Si autem exempti, Ordinarius ea conferet, ut delegatus Papæ, juxta Clem. *unic.* de suppl. negl. Prælat. Quamvis autem in c. 2. de concess. Præbend. ut dictum est, in casu negligentia, potestas conferendi beneficia vacantia devolvatur ad proximum superiorem, hoc tamen intelligi debet, de beneficiis vacantibus *infra Episcopatum*, & reliqua *hoc superiora* c. *Dilectus* 12. de concess. præbend. sive hæc minora dentur collatione, sive electione, ut notat Pirhing de concess. præbend. n. 37. in fine, quamvis postea etiam circa Prælaturas principales, quoad jus devolutionis aliter statutum sit, ut dicemus n. 782.

780

Præter hæc *Not.* 1. ei, ad quem devolvitur potestas conferendi beneficium propter negligentiam inferiorem, concedi sex menses, intra quos conferre debet, computandos non à die devoluti juris, sed à die, quo scivit illud jus esse ad se devolutum, quod procedit de singulis, ad quos gradatim fit devolutio, sic Azor *cit.* q. 10. & 12. ut constat ex præmissis juribus.

Not. 2. Elapso tempore, à jure præsi-

xo, non prodesse purgationem mora, ut tunc valida sit collatio beneficii à moroso facta; quia potestas conferendi ipso jure jam ad alium translata est, quamvis superior, ad quem devoluta est, inferiori concedere possit potestatem conferendi idem beneficium, non jure proprio, sed concedentis, sic Rebuff. in praxi benefic. tit. de devolut. n. 32. Azor. *cit.* c. 27. q. 16.

Not. 3. quod potestas conferendi beneficia, per devolutionem ad alium transfrens, *cum iisdem conditionibus transeat*, quæ prius annexæ illi erant, nam id, quod in alterius locum subrogatur, subit conditionem ejus, cui sufficitur. L. 1. ff. de solut. Hinc non potest Episcopus beneficium, cujus collatio ad ipsum devoluta est, aliter, vel aliis conditionibus, aut qualitatibus affectum, conferre alteri, quam id potuisset, ac debuisset is, qui providere debuisset, sed neglexit, de quo V. dicenda in seqq.

Not. 4. Si Episcopus beneficium, quod ad ipsum solum pertinet conferre, à conferendo propter aliquam censuram impeditus est, potestatem penes eum manere, & Episcopum tunc censeri impeditum, c. *Quia diversitatem* §. de concess. præbend. si autem spectet simul ad Episcopum, & Capitulum, collationem fore penes Capitulum, c. *unic.* Ne Sede vacante. in 6. & c. 1. de suppl. negl. Prælat. in 6. Superiori porro, ad quem fit devolutio competit jus non modò conferendi beneficium *devolutum*, sed etiam mittendi in possessionem, cum hoc illi sit accessorium: Sic Abbas in c. *Dilecto* §. *Præterea* de præbend. n. 2.

Not. 5. et si in casu negligentia eorum, 782 ad quos pertinet potestas providendi dignitates principales, devolutio non facta sit ad proximum superiorem, (ut habetur c. *dilectus* 12. de concess. præbend.) postea tamen sub Innocentio III. ut habetur in c. *ne pro defectu* 41. decretum esse, ut propter negligentiam non eligentium (non autem ob electionem indigni, vel neglectæ formæ) *intra trimestre*, potestas eligendi Prælatum, in Ecclesiis Cathedralibus, & Regularibus devolveretur ad proximum Superiorem, ad quem pertinet confirmatio Electionis. Sic Abbas in *cit.* c. *Dilectus* n. 3. Et quia jus confirmandi Episcopos communiter jam pertinet ad Papam, ad eum in casu dato fieri devolutio, in reliquis verò duobus casibus ad Papam.

Prima pars habetur, ut dixi, ex c. 783. *Dile-*

Dilectus, ubi, cum Archiepiscopus S. Severina, credens mortuo Episcopo, propter negligentiam Canonicorum Ecclesie viduata, jus providendi ad se devolutum, in Episcopum ejusdem elegerit, Canonice G. Pontifex re cognita rescripsit: Nos attendentes, quod Canon Lateran. Concilii, at Alexandro Papa *contra negligentes* editus, ad Archiepiscopatum, vel Episcopatum non solet extendi; sed ad personatus alios, & minora Ecclesiastica beneficia coarctari, electionem hujusmodi, justitia cassavimus exigente. Ex quo Doctores hunc conclusionem inferunt, quod electio Episcopi, vel Archiepiscopi, si non fiat in semestri, non devolvatur ad alios, quia Concil. Lateran. intelligit de personatibus, & minoribus beneficiis. Altera pars ex c. ne pro defectu, ubi statuitur, ne pro defectu Pastoris gregem dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur: in hoc etiam succurrendo periculis animarum, & Ecclesiarum in demeritatibus providendo, ut *ultra tres menses* Cathedralis Ecclesia, vel Regularis Pralato non vacet intra quos, (impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit: qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximo praesse dignoscitur, devolvatur, is vero, ad quem fuerit devoluta potestas, DEum pra oculis habens non differat ultra tres menses cum Consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentiam, viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesie, vel alterius, si digna non reperiatur in illa canonice ordinare: si canonicam voluerit effugere ultionem.

784 Ex hoc enim textu, qui, ut notat Layman in c. *ne pro defectu* n. 6. posterior est altero de quo in *cit. c. Dilectus*, ubi idem Innocentius contrarium statuerat, habetur, devolutionem potestatis eligendi, propter negligentiam Electorum, fieri ad proximum Superiorem, *etiam in Ecclesiis Cathedralibus*, ita, ut si Canonici per tres menses Episcopum eligere negligant, jus eligendi pro ea vice ad Archiepiscopum devolvatur, quamvis in Ecclesiis inferioribus devolutio semper fiat ad proximum Superiorem.

785 Dixi primo: propter negligentiam Electorum, nam in casu, quo Electores privantur jure eligendi pro ea vice, propterea,

quod indignum elegerint, devolutio non fit ad proximum Superiorem, prout constat ex decreto Bonifacii VIII. in c. *Quamquam* 18. de elect. in 6. ibi: quamquam in casu negligentiae sit statutum a jure, ut Ecclesia Cathedrali vacante, si per eos, ad quos spectat, non fuerit electio de Pralato intra tempus debitum celebrata, eligendi potestas ad superiorem proximum devolvatur: hoc tamen non est ad casum alium extendendum; igitur si Electores in hujusmodi Ecclesia, vel ipso jure, cum eligunt scienter indignum, vel per sententiam, cum formam traditam in generali Concilio, non observant, eligendi potestate priventur: non ad dictum Superiorem, sed Romanum Pontificem potestas eadem devolvatur, secus autem in inferioribus Ecclesiis est censendum.

Ex hoc textu colligitur, quod canon 786 in c. *ne pro defectu*, statuens Electoribus, in casu negligentiae, privationem juris eligendi pro illa vice, ac devolutionem ejus ad Superiorem proximum, non debeat extendi ad casum, quo statuitur Electoribus privatio juris eligendi pro illa vice in *paenam electionis indigni*, quia Canon vel lex correctoria juris antiqui extendi non debet ultra casum expressum, ut habetur in L. *Pracipimus* C. de appellat. ad intextus c. *ne pro defectu*, qui corrigi jus antiquum, seu antequam, solum fit correctio, quod in casu negligentiae, in Ecclesiis Cathedralibus, devolutio fiat ad proximum superiorem, quin mentio fiat de casu, quo scienter eligitur indignus, vel non servatur forma: ergo ad hunc casum id, quod decretum est in c. *ne pro defectu*, extendi non debet.

Dixi 2. devolutionem (in casu negligentiae tempore debito in Cathedralibus) fieri ad Archiepiscopum; sed hoc intellige, si ad eum aliam spectat electionis confirmatio, ut ex sententia recepta notat Glossa in Clement. unic. h. t. V. *dispositionem*, junct. Gloss. marginali ibid. & ita Rebuff. in praxi benefic. tit. de devolut. n. 18. dicens, quod propter negligentiam jus eligendi devolvatur ad Superiorem, *cujus est confirmare electum*; similiterque propter negligentiam praesentanti jus providendi devolvatur ad eum superiorem, *cujus est institvere praesentatum*, sive is Episcopus, sive alius Pralatus sit.

Not. 6. Cum constitutionis, in c. *ne* 788 pro defectu, principalis intentio sit, providere Ecclesiis viduatis, ne damnum patiantur, ideoque favorabilis censerit debeat, ut ejus

ejus extensio ultra vim verborum, spectatâ intentione Legislatoris, juridica videri possit, juxta ea, quæ docui *lib. 1. tit. 2.* delegum interpretatione, eandem non tam ex identitate rationis, quam intentione legislatoris probabiliter extendi ad Ecclesiarum Collegiarum Prælatos illos, qui et ipsi ordinariam, ac generalem jurisdictionem in Clericos suæ Ecclesiæ jure speciali exercent. Sic Abbas in *dict. c. ne pro defectu n. 2.* Immo ibid. *n. 2.* quod maximè videtur procedere, si tales Prælati sint exempti, & gaudeant jurisdictione quasi Episcopi, privativè ad Episcopum.

789 *Not. 7.* Superiorem, ad quem potestas eligendi devolvitur ob negligentiam Electorum, debere aliquem eligere ex ejusdem Ecclesiæ gremio, sive corpore, dummodo idoneus adsit, alioquin ex alia Ecclesia, personam idoneam assumere non prohibetur, prout colligitur ex *cit. c. ne pro defectu*, & constat ex *c. 13. dist. 61. ibi. Nullus invitis detur Episcopus*, ubi Gl. *Tunc de aliena Ecclesia eligantur, quando in propria nullus invenitur idoneus, & si Clerici viderint, se in hoc prægravari, sit eis facultas appellandi, & contradicendi.* Et Eman. Rodriq. to. 2. Regul. qq. q. à 9. *Injuriam fieri fratribus, si inter eos reperitur dignus prælaturâ, & alius præficiatur.*

790 Dices: Canonici poterant eligere non tantum unum ex gremio, sed etiam extraneum; ergo idem potest superior, ad quem jus eligendi pro ea vice devolutum est. Ant. constat ex *c. Cum nobis 19. de elect.* prout in integra lectione habetur: cum duæ partes, & amplius, electioni consenserint, & consentiant, licet tamen cautum reperitur in canone, ut tunc alter, de altera Ecclesia eligatur, *cum nullus in propria fuerit repertus idoneus*, quia tamen hoc *in favorem introductum est Clericorum, & cuique licet renuntiare juri, quod pro se noscitur introductum*; Vos, qui duæ partes eratis, & amplius, cum hoc, quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere videatur, in hac parte juri, quod pro vobis facere videbatur, renuntiare potuistis: & electionem de persona alterius Ecclesiæ celebrare, præsertim, cum illud decretum locum habere videatur, quando Clericis *renuentibus, & invitis per alicujus violentiam potestatis extraneus ingeritur ex adverso*, propter quod sequitur in decreto, ut sit facultas Clericis, retinendi, si se viderint prægravari, & quos ingeri sibi viderint, ex adverso, propter quod se non timeant refutari. De-

inde etiam ex *c. cum inter 21. eod. ubi*, quod non possint electores *in præjudicium electi* compromittere, sed, si consenserint electioni suæ, vel consentire velint non obstante laudo, in contrarium lato, est confirmandus: si aliud canonicum sibi non obfistat, licet non sit de gremio illius Ecclesiæ, quantumcunque ob causam à majori parte fuerit appellatum. Consequentia etiam probatur, quia devolutio sit eodem jure, ac potestate, quam iis habuerunt, à quibus sit; subrogatum enim imitatur naturam ejus, cui subrogatur, *L. cum qui 10. §. qui injuriam junct. Gloss. V. danda. ff. Si quis cautionibus, c. Ecclesia 3. Ut vi lite non pendente junct. Gloss. V. successerunt. Nav. Conf. 22. de celeb. Miss. Everardus in loco, à vi subrogationis.*

8. Distant. Canonici poterant eligere 791 non tantum unum ex gremio, sed etiam extraneum, si renuntiare volebant ei, quod in favorem ipsorum introductum est, ut ceteroquin potius unus ex ipsis eligeretur, C. secus N. ant. & conseq. ad prob. hujus dist. ant. devolutio sit *eodem jure, ac potestate, sed non privilegio*, quod ii habuerunt, à quibus sit C. *eodem jure, ac potestate, atque privilegio*. N. anteced. Nam in casu devolutionis, propter negligentiam, in subrogatum cum potestate faciendi, quod ipsi poterant, non transit, *quod specialiter introductum in favorem Canonice talis Ecclesiæ*; Sed sola potestas, prout jure illis constituta est, ut rectè notat Layman in *c. ne pro defectu n. 8. at de jure, & secundum Sacros canones*, non est in Collegio vel communitate instituendus Prælati, qui ex corpore non sit, nisi ipsi Capitulares consentiant, & quasi juri suo renuntient, ut constat ex *c. Cum nobis*, supra n. 790. cum ergo in subrogatum non transeat illud *privilegium*, non poterit hoc, quod illi possunt ex *vi sui privilegii*, nisi etiam pro tali casu renuntient.

8. *Not. 7.* si præbendæ Canonice non sint 792 divisæ in aliqua Ecclesia, sed omnes reditus ad communem mensam pertinent, & numerus canonicorum non sit determinatus, præbendam per mortem, vel renuntiationem præbendæ, *proprie non vacare*, consequenter non esse locum devolutioni propter negligentiam præbendæ intra semestre non collatæ alteri. *c. ex parte 10. de concess. præbend. in talibus tamen Ecclesiis non numeratio* (ubi scilicet non est determinatus numerus Canonicorum) potest superior v. g. Episcopus, Prælatum, & Capitulum compellere, ad recipiendum eum numerum Canonicorum, qui ali potest committere secundum facultates reddituum illius Ecclesiæ, & præfixere terminum, intra quem fiat receptio, *Not. 8.*

793 Not. 8. devolucionem non tantum fieri in casu negligentiae, sed etiam in casu collationis factae indigno, & inhabili c. *Cum in cunctis* 7. §. *Clerici Sanè*, de *Elect.* quod etiam procedit de confirmatione, institutione, vel admissione *indigni, scienter factae*, ut colligitur ex *Gloss. in cit. c. 7. V. fecerit.* &c. *Azor. c. 27. q. 3.* Ubi tamen advertendum, in hoc casu devolucionis faciendum esse discrimen aliquod à casu, quo devolutio fit *propter negligentiam*, hoc porro discrimen à nobis assignatum est *à n. 786. supr.*

ARTICVLVS VI.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

794 Illis, quae in promissis hoc titulo articulis deduximus, addenda duximus sequentia, quae in diversis Capitulis hujus tituli memorantur. Quare not. 1. in Ecclesiis regularibus Canonicorum, seu Monachorum, & etiam Monialium, institui non posse plures, quam commodè ex proventibus, & fructibus ali valeant; Sicut enim habetur in c. *non amplius*. 1. *h. t.* ibi: *non amplius suscipiantur in Monasterio Monachorum, aut Clericorum, seu etiam puellarum, quam quot se regere de bonis Ecclesiae, absque penuria, possint.* Hinc idem statuerunt plura Concilia, de quibus videri potest *Gonzalez in c. 1. h. t. n. 3. & Trid. sess. 25. de Regularib. c. 3.* ibi: *in Monasteriis tamen, & donibus, tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac imposterum conferretur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis possit sustentari;* quod confirmari potest plurimum, etiam Summorum Pontificum decretis, quos refert *Barbosa in dict. locum Trid. à n. 18.* districtè inhibentibus contrarium, tum illi, quod dicitur in c. *non amplius*; tum in c. 3. *Trid.* Advertendum tamen 1. non esse contra hoc decretum, si completo numero personarum, quae ali possunt ex annuis redditibus Monasterii, admittitur alia, *ultra numerum earum*, non alenda ex redditibus Monasterii, sed dote, quam affert Monasterio; ita *Sanchez in Decalog. tom. 2. l. 7. c. 23. à n. 4.* *Suarez de Relig. tr. 3. l. 4. n. 17.* & alii; deinde, quamvis attento *ju Tom. III.*

re antiquo, in c. *unico, de regul. in 6.* professio Monialis, recepta in Monasterio non mendicantium, *ultra numerum earum*, quae ex redditibus Monasterii, & consuetis elemosynis absque penuria sustentari valerent, esset irrita; hodie tamen locum non habere, quia consuetudine abrogatum est, cum compertum sit, plures saepe admitti, nec unquam nostris temporibus auditum sit, in controversiam verti valorem professionis, ne dum illam irritari, ita *Sanchez loc. cit.* Ex quo habetur, decretum de non recipiendis ultra numerum, intelligi de his, qui alendi forent ex redditibus Monasterii sine penuria solum sufficientibus pro eo numero.

Not. 2. quando in aliqua Ecclesia, communi institutione jurata, statutum est, ut certus numerus Canonicorum ex ejus redditibus teneatur, & deinde, successu temporis, ille numerus diminuitur (morte v. g. aliquorum, vel resignatione &c.) numerum illum non posse suppleri instituendo in illis praebendis, vel Canonicatibus Laicos, qui in talibus Ecclesiis Canonicorum titulo nominentur; Sed de aliis Clericorum personis idoneis, ut Deo in divinis officiis, *per Ecclesiasticos ordines congrue deserviat*; Sic *Eugenius Papa. c. in Ecclesia Vestra 2. h. t.* in cujus c. sine apud *Gonzalez* legitur prohibitio ejusdem, districtus inhibentis, *ne de Cetero Laici in Canonicos admittantur*, ex quo textu deducitur, nullum, non Clericum, esse capacem obtinendi beneficium, vel praebendam Spiritualem, seu Ecclesiasticam; Sic *Azor p. 2. l. 6. c. 2. q. 5.* Unde *Sanchez de matr. l. 7. D. 42. n. 14.* cum aliis, resolvit, quod ad beneficium obtinendum non sufficit, quempiam, habitum Clericalem gestantem, animum habere statim obtento beneficio assumendi Ordinem Clericalem; Sed hic ordo debet necessarìo praecedere; quod etiam contra *Gloss. ult. in presenti tenet Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 2. num. 66.* Quamvis ille, cui confertur beneficium, incederet in habitu, & tonsura, & communiter reputaretur Clericus; adhuc enim, si constet de veritate, collatio beneficii non tenet, ut per *Flamin. de resig. benefic. l. 4. q. 2. n. 59.* *Gonzal. de gloss. 2. à n. 64.* *Nicol. Garc. de benefic. p. 3. c. 1. à num. 11.* quos citat, & sequitur *Barbosa*

p. 3. de offic. & potest. Episcopi allegat. 72. num. 73.

796 Dubitari tamen potest, quando dicitur, quod, ut quis capax sit, obtinere beneficium Ecclesiasticum, debeat esse Clericus, an hæc *capacitas*, seu *Clericatus* attendatur tempore præsentationis? *R.* dubitationem posse intelligi, vel de præsentatione, prout idem est, ac *sola nominatio* alicujus ad beneficium; vel de præsentatione propriè dicta, *quæ tunc est, cum nominatus, seu præsentatus coram ordinario personaliter sistitur, ab eo institutionem accepturus?* Clericatum, ut quis rectè præsentetur, seu solum nominetur ad beneficium, non requiri tunc, quando talis nominatio fit, non necessariò præsupponi in nominando, tradit Riccius in praxi rerum fori *Eccl. resol. 140. Barbosa. cit. alleg. 72. n. 76.* volentes nominationem factam per Patronos Laicos, *etiam de non Clerico*, ad beneficium, validam esse, & probari potest exemplis. Nam Sanctus Nicolaus fuit promotus ad Episcopatum, seu Archiepiscopatum antequam Clericus diceretur, quin imò Sanctus Ambrosius Archiepiscopus nominatus est, antequam baptismi Sacramentum susciperet; sic testatur Gratianus in *c. statuiamus. 61. dist.* & constat tamen Episcopatum seu Archiepiscopatum esse quidem beneficia Ecclesiastica prout advertit Selva, *de benefic. p. 1. q. 2. n. 19.* Rebuffus *in praxi tit. de probata beneficii viventis impetratione. n. 44.*

797 Pro resolut. observa, esse distinguendum inter *acceptationem* beneficii Ecclesiastici, & inter *retentionem* ejusdem; & quidem *acceptationem* illam posse sumi, vel pro sola nominatione alicujus à latrono facta ad beneficium vacans, vel etiam propriè, cui simul adjuncta sit institutio nominati, quo posito: observand. 2. jure divino prohiberetur esse, à Laico retineri beneficium Ecclesiasticum, tradi à S. Thoma, *2. 2. q. 100. a. 4. Soto l. 9. de just. q. 7. a. 1. Covarr. l. 1. variar. c. 17. num. 5.* quos citat, & sequitur Barbosa *c. in Ecclesia. 2. h. t. n. 3.* Cum retentio beneficii, ob illius *administrationem*, supponat divini officii ministerium, puta *administrationem Sacramentorum* in curatis, & in aliis, alia ex officio, nimirum vi potestatis per ordines Collata, aut saltem tonsuram, quæ præstare non potest Laicus. Obser-

vand. 3. solo jure Ecclesiastico prohibitum esse, ne Laicus, seu nondum Clericus ad beneficium nominatus, infirmatur in illo; cujus ratio sumitur ex eo, quia attento jure Ecclesiastico collatio, vel institutio in beneficio non aliter fieri potest, nisi de persona idonea, quæ beneficio deservire possit, quod quidem Laicus tempore collationis facere nequit: Sic aliàs datâ dispensatione de Stylo Curie, quando laico mandatur beneficium conferri, apponitur clausula: *cupienti adscribi militiæ Clericali*, ut testatur Gomez *de expectat. n. 93.*

Ex his deducitur 1. Laicum non esse *ca-* 798
pacem *retinendi* beneficii Ecclesiastici etiam ex dispensatione, cum jure divino ponatur interdicta; jure autem solum humano, *collationis*, vel *institutionis*, nam licet sed contra legem divinam, quod Laicus, *manens Laicus retineat beneficium in titulum*, non tamen est contra eandem, Laico *conferre*, vel eum *instituire*, si sit pietate, ac eruditione insignis, intra breve tempus ordinandus, quamvis id ipsum inhibita sit jure Ecclesiastico, sic, licet aliàs, qui Sacros Ordines non habet, curato beneficio jure divino deservire non possit juxta resoluta in *c. omnis, utriusque servus, de poenit.* potest tamen ad curatum beneficium admitti, *intra breve tempus ordinandus, argum. text. in c. licet canon. de elect. lib. 6.* licet enim in illo tempore beneficium retineat; tamen propter destinationem, quam habet, ad sacros ordines, *ut in sacris ordinatus*, retinere dicitur. Demum, si sermo sit de sola nominatione, vel præsentatione ad administrationem, jure humano præsupposita ea, ut valida sit, in nominato, vel præsentato præcisè non exigit Clericatum, cum per eum (antequam ei fiat, cujus est instituire) nullum tribuat nominato jus *ad*, vel *in* beneficio, esto efficax non sit, ut sequatur institutio, priusquam præsentatus evadat Clericus, ex quo patet ad dubitationem *n. 696. motam.*

Not. 3. de doctrina à nobis tradita à 799
n. 725. (quod nimirum *Vicariis generales* Episcoporum, seu *Officiales ex vi officii propriis*, absque ulla speciali commissione, possint *instituire præsentatos* à Patronis, & *electos confirmare*, tradi etiam à Gonzalez in *c. Ex frequentibus h. t. n. 2. citante Vallensom de benefic. l. 1. tit. 5.*

¶ II. ac reddente hanc rationem, quia *instituere est jurisdictionis*, unde transit in Capitulum hæc potestas Sede vacante c. 1. h. t. in 6. Sed omnia, quæ sunt juris dictionis competunt vicario Episcopi, nisi à jure exceptum sit: ergo & institutio in beneficiis, quamvis non possit Vicarius beneficia conferre c. ult. de offic. Vicarii in 6. Joan. Dartis de benefic. sect. 3. c. 10. nam non est par ratio institutionis, quia instituere est necessitatis; conferre autem beneficia, gratuita donationis; ideoque Vicarius potest instituere; non autem, beneficia conferre, absque speciali commissione.

800 Not. 4. jus instituendi posse de jure speciali pertinere etiam ad non Episcopum, ut dicitur in c. cum venissent. 6. h. t. Unde si talis possidet jus instituendi, ad quem de jure communi aliàs non spectat, pendente lite proprietatis cum Diocesano, in possessione defenditur, sic Innocentius III. in dict. c. Cum venissent: Vivianus in rationali l. 3. pag. 66. & alii. Ex eodem textu deducitur, quod agenti possessorio possit quidem opponi exceptio dominii, seu proprietatis; sed solum, si eam probare possit in continenti, si enim est alioris indaginis, ei locus esse non debet, ut diximus alibi, sic Mascard. de probat. conclus. 987.

801 Not. 5. quando in c. Cum ad nostram 7. h. t. dicitur, quod is, ad quem spectat collatio beneficiorum, vel presentatio ad illa, non possit sibi ipsi conferre, se ipsum presentare, vel instituere; & ratio redditur: quod inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio: ratio hæc adducta ab Innocentio procedat in presenti casu institutionis, quoad beneficia, vel dignitates, ex speciali juris Dispositione, videlicet ad evitandam ambitionem, qua ratione ne-

mo in alienationibus, ubi proprium commodum versatur, & per consequens fraus dari potest, sibi auctor fieri valet. L. 1. ff. de auct. tut. ubi plura Gothofredus. Clem. 2. de rebus Eccles. quam rationem ambitionis expressit Pontifex in dicto c. per nostras, ibi: quia nullus ingerere se debet Ecclesiasticæ Prælationis officiis. Quare juxta hanc juris dispositionem dixit Innocentius in presenti, inter dantem, & accipientem debere dari distinctionem personarum, in eo videlicet casu, de quo agebatur, cum in aliis actibus, ubi non datur hæc specialis ratio, non desideretur eadem distinctio personarum. Hinc:

In aliis actibus humanis indefinite non procedit; nam in actibus jurisdictionis voluntaria, & similibus, non repugnat eundem plurimum personam sustinere, ut in casu L. Si Consul 3. ff. de adopt. ibi: si Consul, vel Præses, filius familias sit, posse eum apud semetipsum vel emancipari, vel in adoptionem dari; constat ex L. unic. ff. de offic. Consul. c. Quod sicut. §. super eo. de elect. c. à Collatione. de appellat. Unde dispensare potest Prælati in legibus à se positis, & in votis, ac iuramentis propriis, sicut cum subditis, Sanchez lib. 8. de matr. D. 3. & lib. 4. Summe c. 37. n. 2. Suarez de legib. l. 6. c. 12. Salas cod. tract. D. 20. sect. 12. Basiliius Pontius de matr. D. n. 9. Dixi jurisdictionis voluntariæ; nam quod actus forenses, & jurisdictionis contentiosæ, regulariter vera est prædicta ratio, ut ait Ulpianus in L. Ille, à quo. 13. §. tempestivum. ff. ad Trebell. ibi: ipse se cogere non poterit; ex ratione adducta à Paulo in L. Si plures. 9. ff. de pactis ibi: Nam difficile est, ut unus homo duorum vicem sustineat.

QVÆSTIO VIII.

IN TIT. VIII. DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIE NON VACANTIS.

803 Titulo de præbendis, & institutionibus in illis, subjungitur iste de concessionem præbendæ non vacantis. Nam, ut collationes præ-

bendarum, & institutiones jure fiant, debent esse præbendarum vacantium. Dicuntur autem vacare, quæ, tametsi non pereant, & finiantur, possessore tamen de-

Tom. III.

Aa 2

stituta